CURTII SPRENGELII

FACULTATIS MEDICAE HALENSIS SENIORIS

OPUSCULA ACADEMICA

COLLEGIT,

EDIDIT, VITAMQUE AUCTORIS BREVITER ENARRAVIT

JULIUS ROSENBAUM, Dr.

MEDICO-CHIRURGUS APUD HALENSES PRACTICUS
IN UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIANA PRIVATIM DOCENS
SOCIETATI MEDICAE BRUXELLENSI DRESDENSI HAMBURGENSI
PETROPOLITANAE VRATISLAVIENSI EPISTOLARUM COMMERCIO
IUNCTUS SOCIETATIS NATURAE CURIOSORUM HALENSIS SODALIS
ORDINARIUS SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE BRUGENSIS ET
TURICENSIS SOCIUS HONORARIUS.

LIPSIAE
IN TABERNA GEBAUERIANA,

VIENNAE
APUD BRAUMUELLER & SEIDEL.

1844.

VIRO PERILLUSTRI

GREGOR. GUIL. NITZSCH

ANTIQUARUM LITTERARUM ET ELOQUENTIAE IN ACADEMIA
KILONENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO REGIS DANORUM
A CONSILIIS STATUS ORDINIS DANEBROGICI EQUITI

PRAECEPTORI

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

GODOFREDO BERNHARDY

LITTERARUM ANTIQUARUM PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
SEMINARII REGII PRAESIDI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI

LUDOVICO PERNICE

IURIS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO REGIS A CONSILIIS
IUSTITIAE SANCTIORIBUS COLLEGII DE IURE RESPONDENTIUM
PRAESIDI ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI

FAUTORIBUS.

Opusculorum academicorum communis est sors, ut, quamquam publice scripta sunt, in publicum raro proponantur; id quod fieri etsi interdum scriptoris interest, tamen et viris doctis incommodum et scientiae augendae propagandaeque parum conducit. Probatissimus igitur mos erat, ut vel ipsi scriptores vel amici talia colligerent scripta, publicique facerent iuris; edita sunt **Trilleri**, **Platneri**, **Vogelii**, **Richteri**, **Baldingeri** aliorumque opuscula, sua colligere incepit **Kühnius**, sed quae **Grunerus**, quae **Sprengelius** conscripsit, iacent dispersa ac prorsus recondita; neque enim bibliotheca Ienensis Gruneri, neque Halensis Sprengelii programmata servat integra. Res cum ita sit, operae pretium me fecisse persuasum habeo, quod illorum virorum opuscula, quotquot reperire licuit, colligenda collectaque literarum formis iterum describenda curavi. Causam si quaeritis, cur Sprengeliana ediderim prius, pietatem affero erga praeceptorem quondam dilectissimum. Accedit fortunae cuiusdam benignitas, quae me heredem quasi fecit atque curatorem monumenti eiusdem viri aere perennioris, artis medicae dico historiam, cuius novam editionem ut emendarem et amplificarem redemptoris honestissimi voluntas mihi imposuit. Academica Sprengelii opuscula cum maximam partem sint supplementa vel emendationes eorum, quae ipse in magno illo doctrinae nostrae thesauro exposuit et enarravit, et ego et bibliopola appendicem hanc gratam fore lectoribus nobis persuasimus, praesertim cum Antonii Sprengelii, Curtii filii benevolentia nobis commentationem et orationes aliquot traderet typis nondum expressas, quas signo (Ex Ms.) notavimus. Opuscula ipsa ut integra prodirent et meae et filii cura erat maxima; addere aliquid vel scriptiones emendare paucis exceptis religioni duxi. Vitam

viri praeclari breviter enarravi itemque succinctum eius scriptorum recensum dedi, ne libelli pretium augeretur.

Sed haec quidem hactenus de Sprengelii, ultimi, ut videtur, facultatis medicae programmatarii, opusculis, quae ex pietate edita, Vobis, Viri Illustrissimi, pietatis sint signa! Ad studia enim illa, quae adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, Tu primus me duxisti, Praeceptor carissime, ac vere Tibi affirmare possum cum Mureto: „si quis mihi deus omnes opes, omnia commoda, omnem potentiam proponat, ea lege ac conditione, ut semel deponam haec studia et has qualescunque litterulas, alatrices adolescentiae meae, fidissimas meorum omnium temporum comites, deseram; nunquam me id facturum, neque quidquam tanti esse duco, quod mereri velim ut a suavissimo earum amplexu et contubernio abducar." Erant enim fidissimi amici exemplaria illa Graeca et Latina, quae nocturna manu diurnaque versare nos docuisti Servestae Leucoreaeque, depulerunt plus semel non vitae solum frigus, sed — quidni dicam? — famem etiam duram! Attamen vires certe me defecissent vel ipse de salute desperassem per octo illos annos, quibus idem gratiosus ordo, qui me in discipulorum aeque ac in doctorum suorum numerum recepit, vitae meae academicae fructus intercepit — nisi Vos, Viri Illustrissimi, saluberrimorum consiliorum auctores gravissimos reique meae fautores habuissem optimos.

Λυπουμένῳ γὰρ μῦθος εὐμενὴς φίλων·
Ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον,
Ἔστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
Τὰ μὲν διδακτὰ μανθάνω, τὰ δ' εὑρετὰ
Ζητῶ· τὰ δ' εὐκτὰ παρὰ θεῶν ᾐτησάμην.

Scripsi die supremo Rich. Meadii MDCCCXLIV.

DE VITA ET SCRIPTIS C. SPRENGELII.

Curtius Polycarpus Ioachimus Sprengel natus est Boldecoviae, pago pomerano prope Anclamum urbem sito, die III. Augusti a. MDCCLXVI, patre Ioachimo Friderico, rerum divinarum ministro, matre Christiana Sophia e gente Adelungiana. Primam autem hanc a deo obtinuit felicitatem, ut eos haberet parentes, quorum hereditas non magno quidem constabat patrimonio, sed laudem integritatis, pietatis, eruditionis, externis bonis praestantiorem complectebatur. Mater enim, virtutibus singularibus ornata femina, Ioannis Christiani Adelungi, illustrissimi grammatici soror, quasi inseruit filio natu minimo linguarum amorem, quem pater, doctrina ornatissimus (sodalis erat societatis regiae scientiarum Gottingensis) non minus fovit et aluit, quam filii pectus dei admiratione aeque ac naturae implevit, ita ut iam ex puero, qui postea vir futurus esset, facile homines coniectarentur. Vitam egit Curtius in litteris tractandis et in herbis colligendis. Ex illius aetatis more cum rectam instructionem maxime ex assidua sacrorum librorum lectione petendam esse censeret pater et graecae et hebraicae linguae scientiam hoc ex thesauro docuit filium, qui et arabicam linguam suo ipsius studio ex Matthaei evangelii arabica versione percipere studuit. Haec vero litteras discendi ratio, neglecto accuratiore grammaticae artis studio sicut aliis item Curtio nostro detrimento fuit, nam et posteriore tempore saepius verba minus quam sententias scriptorum curavit, quo factum est ut a vero interdum aberraret. Verum tamen talis instructio multa lectione mentem formandi ut ad variarum rerum cognitionem duceret, necesse erat; neque mirum, iuvenem vix XVII. annorum bene doctum docendi in se suscepisse munus; tradidit scilicet Curtio autumno anni MDCCLXXXIII

privatae disciplinae curam vir nobilissimus de Langen, dominus pagi Neuendorf ad Gryphiam siti. Per duos annos, quos in illo munere exegit, omne fere subsecivum tempus contulit in studia, quibus ad altiora, maxime ad theologiam informaretur, tanta alacritate ut probatus a Quistorpio, sacrae theologiae doctore in alma Rupertina, anno aetatis XVIII (initio anni MDCCLXXXV.) dignus iudicaretur, qui in conventu sacro verba faceret et plus semel concionem haberet. Sed linguarum studium neutiquam neglexit. Scribit ipse Sprengelius ad praeceptorem Ph. Fr. Meckelium: „Ea fuit ab eunte aetate ratio studiorum meorum, quorum incunabula in agro quodam mari baltico adiacenti fuerunt, ut puerilis iuvenilisque vitae omnis industria vigilandique labor in linguis, quas vocant eruditis addiscendis expromeretur, quarum unica (graeca) tantum adeo mihi placuit, ut omnes ingenii vires ad eandem profunderem". Pariter linguarum, quae hodie sunt in ore Suecorum, Anglorum, Gallorum, Italorum, Hispanorum et tunc et sequenti tempore paravit sibi cognitionem et usum. Bene instructus festo paschali anni MDCCLXXXV in Fridericianam academiam Halas se contulit Sprengelius et die XVI. Aprilis in numerum studiosorum theologiae receptus est; sed paulo post mutato consilio totum se dedit artis medicae studio, cuius praeceptores habuit Ph. Fr. Meckel, Kemme, Goldhagen. Tanta erat diligentia, tam assiduus labor ut post quinque semestria medicorum tirocinia iam exegisset. Anno MDCCLXXXVII, die XVII. Septembris dissertationem rudimentorum nosologiae dynamicorum prolegomena enarrantem una cum thesibus publice defendit tanto applausu, ut non solum medicinae et chirurgiae doctor renuntiaretur, sed docendi etiam facultas ei tribueretur. Indixit sequenti mense praelectiones suas per semestre hyemale in alma Fridericiana habendas prolusione: „Quaedam articulum CXLVII. constitutionis criminalis Carolinae illustrantia" proferente. Ex illa prima commentatione, quam cum thesibus recudendam curavimus (pag. 1 — 42) et cui iam praecesserant disquisitiones et enarrationes aliquot in Baldingeri et Bertrami diariis, sicut libellus de pulsus historia, facile cognoscere licet, Curtium ex studiorum initio multum tempus in scriptis medicis et quidem veterum legendis consumsisse atque iam de illis libris componendis cogitasse, quibus famam sibi paravit nunquam interituram. Commemorat enim pag. 21. not. 36. „Apologiam novam Hippocratis, quae mox prodibit", atque adeo „historiae medicae pragmaticae tentamen" affert pag. 24. §. 31. pag. 25. not. 60, quod primis tantum lineis se designasse in praefationis mense Martis eiusdem anni scriptae

et libro de pulsus historia praemissae pag. XI sq. ipse fatetur. Die XII. Iulii a. MDCCLXXXVIII Ph. Fr. Meckelium, cum fasces academicos obtineret, gratulaturus scripsit de studiis suis: „Praecipue autem, quin eiusdem prorsus sententiae sim cum celeberrimis et veteribus et nostris medicis, penes quos artis nostrae principatus esse videtur, haud plane possum cohiberi, qui singuli omnesque in magno negotio habuerunt, et literarum Graecarum et Hippocraticorum monumentorum studium, tanquam medicum faciens et ornans, laudare et amplificare. Hinc in eo totus fui, simulac arti medicae essem initiatus, ut in medicinae veteris luminibus quam plurimum olei consumerem: siluerunt interea Musae Graecae: delituerunt in pluteis deliciae meae, Plato, Aristoteles, Xenophon, Thucydides, Plutarchus, Lucianus, Pindarus, Theocritus, Sophocles, Euripides cum aliis, donec otii aliquid nactus male refollicitatae veteri amicitiae aliquando solemne iterum dicere possem sacramentum. Renovati itaque studii recentes fructus fuere tractatus quidam de differentia, quae inter Pythagoraeorum veterum et Neoplatonicorum numeros dominatur; de philosophia Heracliti Ephesii, ac demum de voce πνεῦμα θολερόν Hippocratis, quos ante aliquot menses conscriptos diu reservabo, donec politius limati apparere poterunt". Haec Sprengelius; libellos illos utrum typis exprimendos curaverit nec ne, incertum est. Iure miraberis raram Curtii industriam et assiduitatem, si conspectum percurres librorum, commentationum etc., quos ex illo tempore vel ipse composuit vel vertit explicuitque; sed parva ei erat suppellex, neque Galenus dedit opes, neque Fridericus stipendium! Adduxerunt sane nostrum ad aegrotos Goldhagen et Daniel, viri doctissimi, et ipse ad annum MDCCXCV. usque exercuit medicinam, sed neutiquam a multis requisita est eius curatio; unde manca illa iudicia de rebus pathologicis et therapeuticis in Sprengelii scriptis obvia facilem explicatum habent. Mandatum est ei munus professoris extraordinarii die XV. Decembris anni MDCCLXXXIX., sed sine mercede et cum die XXI. Aprilis anni MDCCXCV. in ordinariorum numerum reciperetur, stipendium statutum est quinquaginta octo — 58 — imperialium! Quis est vestrum, quaeso, qui tam vili mercede hodie artem profiteatur et simul tale scribat tentamen historiae medicae pragmaticae, quale scripsit Sprengelius? Erubescant in talis rei mentione iniqui obtrectatores, quos plurimos facile interrogemus, sicut Alexander dicitur interrogasse Hephaestionem, quaenam opes vestrae, quaenam vestra facta, Sprengelio vobis arrepto? Vocatus est sane Curtius

ad munus etiam herbariam rem docendi et ad horti botanici curam suscipiendam die XVII. Iunii anni MDCCXCVII. — plantarum enim vitae et structurae perspiciendae neque iuvenis neque vir operam dare cessaverat — sed laboris praemium accepit annuum centum et quinquaginta — 150 — thaleros! At homo frugi tam modestus, tamque bonus erat civis, tam et casae suae et almae Fridericiae deditus, ut quamque recusaret conditionem a principibus externis sibi oblatam. Frustra Sprengelium vocavit Cattorum dux anno MDCCCIII. Amasiam suam, ut Baldingero succederet, frustra invitavit Ruthenorum imperator anno MDCCCIX., ut naturalem historiam doceret Dorpati, atque ipsum Berolinensem splendorem, post Willdenovii mortem, noluit mutare cum Fridericiana! Istae vocationes etsi annuum stipendium auxerunt, tamen non illud effecerunt, ut magnifico uteretur. Quo minor vero merces erat, eo maiores honores, quibus undique ornatus est; nunquam sane eos fastidivit. Academiae et societates fere quinquaginta et populares et externae inter socios suos praeclarum virum receperunt. Prima omnium erat Academia imperalis Leopoldino-Carolina naturae curiosorum, quae eum ascivit (1791) nomine Sosimenis II., secutae sunt: societas naturae curiosorum Halensis, medicorum et chirurgorum per Helvetiam correspondentium (1792), regia scientiarum Gottingensis (1793), botanica Ratisbonensis (1799), naturae curiosorum Turicensis, phytographica Gottingensis (1801), scientiarum et artium Moguntiaca (1802), agricultorum Magdeburgica, Ascania et Mansfeldensis (1804), oeconomica Lipsiensis (1805), physica Megalopolitana (1807), physico-medica Mosquensis, Erlangensis, physicorum omnium Wetteraviensis (1808), academia scientiarum regia Monacensis, institutum regium scientiarum, litterarum et artium liberarum Amstelodamense, societas amicorum naturae curiosorum Berolinensis (1809), regia scientiarum Harlemensis, phytographica Jorinkiensis, medico-chirurgica Bernensis, academia regia scientiarum Stockholmensis (1810), societas physiographica Lundinensis (1815), medicorum Suecana, Linnaeana Philadelphiensis (1816), omnium rerum naturalium Marburgensis, Werneriana Edinburgensis (1817), pharmaceuticorum Petropolitanorum, naturae scrutatorum Helvetorum Gallensis, pharmaceuticorum in Bavaria (1819), Lyceum historiae naturalis Novo-Eboracense, societas physico-medica Rheni inferioris terrae, oeconomicorum Marchicorum Postampiensis (1820), Linnaeana Parisiensis (1821), academia regia scientiarum Borussica, societas Senkenbergiana Francofurtensis (1822), ad horticulturam promovendam borussica, rei naturalis Fri-

burgensis, patriae culturae Silesiaca (1823), medicorum academia regia Parisiensis (1825), medico-botanica Londinensis (1826), Linnaeana Lugdunensis, medico-philosophica Herbipolensis, pharmacopolarum Germaniae septentrionalis (1827), physico-medica Heidelbergensis (1828), musei patrii Bohemiae (1831), nec non societas ad horticulturam promovendam Brunsvicensis. Cum Fridericiana (d. XVI. Mai MDCCCVIII.) instauraretur sub alieni regis auspiciis amplissimus philosophorum ordo Sprengelium proclamavit doctorem honorarium; litterarum universitas Cracoviensis (1811), Wilnensis (1827) et Pesthensis (1830) vocarunt eum professorem honorarium. Neque signa equestria defuerunt et decorationes; Borussorum rex aquilae rubrae equitum numero adscripsit Sprengelium anno MDCCCXXII et promovit eum anno MDCCCXXXIII brevi ante mortem; Suecorum rex misit (1823) stellae polaris signum idem, quod ornaverat quondam magni viri Linnaei pectus, et leonis imagine Batavorum rex insignivit Sprengelium; nummum memorialem accepit a duce magno Vimariensi, thecam auream a Ruthenorum imperatore. Haec erant solatia senis litteratissimi, qui docens et discens inter libros et herbas totam peregerat vitam. Solvit nervos apoplexia et obiit Sprengelius quarta hora d. XV. Martis anno MDCCCXXXIII.

Breve habuit corpus et gracile, cuius singulae tamen partes apta proportione et iusta compagine sibi invicem respondebant. Caput decora ornabat caesaries, frontis decus sub ipsa prominebat et sincerae mentis gravitatem explicabat, oculi nigricantes, vivaces, ex multa lectione sane obtusi, comitate placebant; genae macilentae, os rotundum et modice diductum animi hilaritatem proferebat. Memoria fuit tam tenaci et felici, ut si quid in amicorum congressu vel in scholis dicendum enarrandumque occurreret, in quovis litterarum genere, quarum nullam intactam reliquerat, ut occasio sese subito offerebat, id illico in numerato haberet et tanquam ex sanctiore quadam penu exprromeret. Accedebat acuti et perspicacis ingenii summa vis, sollers et peracre, interdum sane praeceps et inflexibile iudicium. Talibus tantisque animi donis ad illud summae eruditionis fastigium evectus est, ut ob multiplicem illius per omne genus auctorum lectionem et omnes, quas amplexus est artes, recte et vere omnis Minervae homo diceretur. Atque eius gloriae cupidissimus erat, ita tamen ut ipsa superbia nunquam sese efferret. Amicus erat certus et gratus, in egenos tanta liberalitate, ut, messe tenus propria vivens, res suas nec sibi nec suis augeret. Vita domestica sobrius, pater familias bonus, suavis et dulcis. Duxerat

vero in matrimonium a. MDCCXCI uxorem Sophiam Henricam Carolinam, e gente Kefersteinia, spectatae virtutis feminam, ex qua tres genuit filios, unum Guilielmum, chirurgiae professorem Gryphiae anno MDCCCXXVIII mortuum, alterum Gustavum, a. MDCCCXLI extinctum, tertium Antonium, etiam nunc philosophiae doctorem et in alma hac Fridericiana herbariam rem privatim docentem.

LIBRI AB IPSO SPRENGELIO SCRIPTI.

Beiträge zur Geschichte des Pulses, nebst einer Probe seiner Commentarien über Hippocrates' Aphorismen. Leipzig u. Breslau (J. E. Meyer) 1787. XVI. 130 pagg. 8.

Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. I. Thl. Halle 1792. XIV. 480 pagg. II. Thl. 1793. X. 594 pagg. III. Thl. 1794. VIII. 636 pagg. IV. Thl. 1799. X. 564 pagg. 8 maj. — Secunda editio. I. Thl. 1800. XII. 688 pagg. c. tab. aen. II. Thl. 1800. VI. 714 pagg. c. tab. aen. III. Thl. 1801. VIII. 632 pagg. c. effig. A. Vesalii. IV. Thl. 1801. X. 598 pagg. c. effig. W. Harveyi. IV. Thl. 1803. VIII. 678 pagg. c. effig. Fr. Hoffmanni. — Tertia editio. I. Thl. 1821. 638 pagg. c. tab. aen. II. Thl. 1823. IV. 762 pagg. c. tab. aen. III. Thl. 1827. X. 613 pagg. c. effig. A. Vesalii. IV. Thl. 1827. IV. 635 pagg. c. effig. Harveyi. V. Thl. 1. 2. Abth. 1828. XVI. 969 pagg. — Traduit sur la deuxième édition par Ch. Fr. Geiger. Paris 1809 — 1810. IV Vol. 8. Traduit sur la seconde édition avec l'histoire des principales opérations chirurgiques par A. J. L. Jourdan et revue par E. F. M. Bosquillon. Montpellier et Paris. T. I. 1815. XXXVI. 496 pagg. T. II. 1815. 591 pagg. T. III. 1815. 426 pagg. T. IV. 1815. 455 pagg. T. V. 1815. 638 pagg. T. VI. 1815. 585 pagg. T. VII. 1815. 362 pagg. T. VIII. 1820. 498 pagg. T. IX. 1820. 405 pagg. — Tradotta dal tedesco (Francese) dal Sig. Dr. Renato Arrigoni. Venezia 1812 — 16. XI Tom. 8. Seconda edizione italiana, accresciuta di note, aggiunte, di un discorso preliminare e continuata fino a questi ultimi anni per cura del D. Francesco Freschi, di Piacenza. Vol. I. Firenza (Speranza) 1839. V. 498 pagg. c. tab. aen. et prolegg. de vita et scriptis Sprengelii. Vol. II. 1840. 675 pagg. Vol. III. 1841. 439 pagg. Vol. IV. 1841. 409 pagg. Vol. V. parte prima. 1842. 816 pagg. parte seconda. 1842. 258 pagg. 8. maj. duabus columnis impr.

Handbuch der Pathologie. Leipzig (Schäfer). Thl. I. Allgemeine Pathologie. 1795. XXIV. 711 pagg. Thl. II. Fieber und Entzündungen. 1796. XII 508 pagg. Thl. III. Hautkrankheiten, Ausleerungen, schmerzhafte Krankheiten, Nervenkrankheiten und Cachexien. 1797. 604 pagg. 8 maj. Secunda editio. . . . . . Tertia editio. Leipzig (Kühn). Thl. I. 1802. XX. 714 pagg. Thl. II. 1807. XVI. 528 pagg. Thl. III. 1810. VIII. 544 pagg. 8 maj. Wien (Doll). 1811. 3 Thle. 8. Quarta editio. Leipzig 1814. 1815. 3 Bde. 8 maj.

Antiquitatum botanicarum. Specimen I. Lipsiae (Schäffer, Kühn) 1798. 110 pagg. 4. c. tab. II. aen.

Der botanische Garten der Universität zu Halle im Jahre 1799. Halle (Kümmel) 1800. XXII. 108 pagg. 8. Erster Nachtrag. Halle 1801. VIII. 44 pagg. 8.

Handbuch der Semiotik. Halle (Gebauer) 1801. XII. 448 pagg. 8 maj. (Wien, Doll. 1815. 8 maj.) rossice a Fr. Sazepin. Moscau 1824. 8.

Kritische Uebersicht des Zustandes der Arzneikunde in dem letzten Jahrzehend. Halle (Gebauer) 1801). XII. 547 pagg. 8 maj. (Gallice ab Jourdano, italice a Freschio versum.)

Anleitung zur Kenntniss der Gewächse, in Briefen. I. Sammlung: Von dem Bau der Gewächse und der Bestimmung ihrer Theile. Halle (Kümmel) 1802. 421 pagg. c. IV tab. aen. II. Sammlung: Von der Kunstsprache und dem Systeme. 1802. 367 pagg. c. IV tab. aen. III. Sammlung: Einleitung in das Studium der kryptogamischen Gewächse. 1804. 374 pagg. c. X tab. aen. 8 maj. (Haec tertia collectio anglica versa est: An introduction to the study of cryptogamons plants; With ten plates. London 1807. 8.) Editio secunda: I. Thl. Halae 1817. XII. 482 pagg. c. X tab. aen. II. Thl. 1 u. 2. 1817. 1818. XVIII. u. XII. 992 pagg. c. XV tab. aen.

Geschichte der Medicin im Auszuge. I. Thl. (Vol. I — III. contin.) Halle (Gebauer) 1804. 347 pagg. 8 maj.

Geschichte der Chirurgie. (Geschichte der wichtigsten Operationen.) I. Thl. Halle (Kümmel) 1805. 471 pagg. II. Thl. von Wilhelm Sprengel, mit Vorrede von C. Spr. 1819. 903 pagg. 8 maj. — Tradotta del tedesco e corredata di note del Dr. Pietro Betti. Firenze (Piatti). T. I. 1815. 298 pagg. T. II. 1816. 300 pagg. 8.

Florae halensis tentamen novum. Halis (Kümmel) 1806. XVI. 420 pagg. 8. c. XII tab. aen. — Mantissa prima florae halensis, cum centuria novarum plantarum. Halis (Kümmel) 1807. 58 pagg. 8. — Observationes botanicae in floram halensem. Halis (Kümmel) 1811. IV. 31 pagg. 8 — Florae halensis editio altera. Sectio I. II. Halis (Kümmel) 1832. 763 pagg. 8.

Historia rei herbariae. Tom. I. Amstelodami 1807. XV. 534 pagg. Tom. II. 1808. XVII. 574 pagg. 8. — Geschichte der Botanik. Neu bearbeitet. I. Thl. Altenburg und Leipzig (F. A. Brockhaus) 1817. VIII. 424 pagg. c. VIII tab. aen. II. Thl. 1818. 396 pagg. 8 maj. — Traduit de l'allemand sur la seconde édition par A. J. L. Jourdan. Paris 1832. II Vol. 8.

Institutiones medicae. Tom. I — VI. (Vol. I — VII.) T. I. Amstelodami 1809. XX. 532 pagg. T. II. 1810. XVI. 637 pagg. (Institutiones physiologicae). T. III. Pathologia generalis. 1813. 539 pagg. T. IV. Pathologia specialis. 1814. 775 pagg. T. V. Pharmacologia. 1816. XIV. 579 pagg. T. VI. P. 1. Therapia generalis. 1816. X. 292 pagg. T. VI. P. 2. Medicina forensis. 1816. X. 146 pagg. 8 maj. — Editio altera, auctior et emendatior. T. III — VI. Lipsiae (Brockhaus) 1819. T. III. 387 pagg. T. IV. VIII. 597 pagg. T. V. 440 pagg. T. VI. P. 1. X. 226 pagg. T. VI. P. 2. VIII. 110 pagg. 8 maj. — Edidit Andrea Silvestri. Mediolani 1817. XI Vol. 8. Versio batava Tomi VI. partis 1.: Handboek, bevattende de allgemeine regelen ter behandeling der ziekten; uit het latyn vertaald door G. S. Pool. Amsterdam by C. G. Sulpke. 1825. 8 maj.

Vom Baue und der Natur der Gewächse. Mit Zusätzen von H. F. Link. Halle (Kümmel) 1812. X. 654 pagg. 8 maj. c. XIV tab. aen.

De germanis rei herbariae patribus. Monachii (Franz) 1813. 4. ex: Denkschriften der Münchner Akademie der Wissenschaften. 1811 — 1812. Mathemat. Classe. p. 185 — 216.

Plantarum minus cognitarum pugillus primus. Halae (Kümmel) 1813. 66 pagg. 8. — Pugillus alter. Halae 1815. 98 pagg. 8.

Plantarum umbelliferarum denuo disponendarum prodromus. Halae (Hendel, Lipsiae Fr. Fleischer) 1813. 42 pagg. c. tab. aen. 8. Ex: Neue Schriften der naturforschenden Gesellschaft zu Halle.

Commentarius de partibus, quibus insecta spiritus ducunt. Lipsiae (Weidemann) 1815. ... pagg. 4. c. III tab. aen.

Species umbelliferarum minus cognitae. Halae (Renger) 1818. X. 154 pagg. 4. c. VII tab. aen.

Novi proventus hortorum academicorum halensis et berolinensis. Halae (Gebauer) 1818. 48 pagg. 8.

LIBRI A SPRENGELIO CURATI VEL VERSI.

Galens Fieberlehre. Breslau u. Leipzig (Meyer) 1788. XLIV. 204 pagg. 8. (Versio Galeni de febrium differentiis lib. II. cum annotationibus.)

Sendschreiben über den thierischen Magnetismus, aus dem Schwedischen und Französischen, mit Zusätzen. Halle (Hendel) 1788. VIII. 142 pagg. 8.

Apologie des Hippocrates und seiner Grundsätze. I. Thl. Leipzig (Schwickert) 1789. 474 pagg. II. Thl. VIII. 673 pagg. 8 maj. (Introductio, versio et explicatio Aphorismorum, de victu in acutis, de aëre aquis et locis.)

J. F. Zückerts allgemeine Abhandlung von den Nahrungsmitteln. 2te Aufl. mit Anmerkungen. Berlin (Mylius) 1790. 330 pagg. 8.

Peter Anton Perenotti di Cigliano von der Lustseuche. A. d. Italienischen, mit Zusätzen. Leipzig (Schneider) 1791. XVI. 384 pagg. 8.

K. P. Thunberg's Reisen in Afrika und Asien, vorzüglich in Japan. Auszugsweise übersetzt von C. Spr. und mit Anmerkungen begleitet von J. R. Forster. Berlin (Voss) 1792. 8.

Bengt Bergius über die Leckereien. Aus dem Schwedischen übersetzt u. mit Anmerkungen begleitet von J. R. Forster und C. Spr. Halle (Waisenhaus). Bd. I. 1792. 480 pagg. Bd. II. 1793. 352 pagg. 8.

Will. Buchan's Hausarzneikunde; oder Anweisung, wie man den Krankheiten durch eine schickliche Lebensart nicht nur vorbauen, sondern auch durch leichte Arzneimittel abhelfen soll. Nach der 11ten englischen und 4ten französischen Ausgabe übersetzt u. mit Zusätzen begleitet. Altenburg (Richter) 1792. LXIV. 888 pagg. 8 maj.

Carter, die Schicksale der Mannschaft des Grosvenore nach ihrem Schiffbruche an der Küste der Kaffern im Jahre 1782. A. d. Englischen übersetzt. Berlin 1792. 8.

Van Kinsbergen's Beschreibung des Archipelagus. A. d. Holländischen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet. Rostock 1792. 8.

Robert Jackson über die Fieber in Jamaika. A. d. Englischen übersetzt mit Anmerkungen und Zusätzen. Leipzig (Schaefer) 1796. VIII. 262 pagg. 8.

Wil. Roscoe's Lorenz von Medicis. Ein Beitrag zur Geschichte der Wissenschaften in Italien. A. d. Englischen übersetzt v. C. Spr. mit Anmerkungen von Jo. Reinhold Forster. Berlin 1797. 8.

George Santi naturhistorische Reise durch einen Theil von Toscana. A. d. Italienischen von G. C. von Gregorini, mit Vorrede und Anmerkungen von C. Spr. Halle (Gebauer) 1797. 238 pagg. 8.

Chr. Gl. Sellii Medicina clinica s. liber de curandis hominum morbis. Sept. vernacula editum latine interpretatus est. Berolin. (Reimer) 1798. XX. 626 pagg. 8 maj. c. Sellii effig.

F. Schwediauer von der Lustseuche. Nach der letzten französischen Ausgabe übersetzt von G. Kneffel. Mit einer Vorrede u. einigen Anmerkungen. Berlin (Himburg). I. Thl. 1799. 294 pagg. II. Thl. 347 pagg. 8 maj.

Paul Joseph Barthez neue Mechanik der willkührlichen Bewegungen des Menschen und der Thiere. A. d. Französischen übersetzt. Halle (Kümmel) 1800. 389 pagg. 8.

J. Sinclair Handbuch der Gesundheit und des langen Lebens. Nach dem Englischen frei bearbeitet. Amsterdam 1808. 365 pagg. 8 maj. c. Sprengelii effigie.

C. Linnaei philosophia botanica. Editio quarta studiis C. Spr. Halae (Kümmel) 1809. VIII. 518 pagg. 8 maj. c. tab. IX. aen.

A. J. Testa über die Krankheiten des Herzens; im Auszuge a. d. Ital. mit Anmerkungen. I. Thl. (unica). Halle (Gebauer) 1813. XII. 404 pagg. 8.

Ph. Cavolini's Abhandlung über Pflanzenthiere des Mittelmeeres. A. d. Ital. übersetzt von Wilhelm Sprengel und herausgegeben von C. Spr. Nürnberg (L. Schrag) 1813. 131 pagg. 4. c. tab. IX. aen.

Thomas Bateman's praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach Willan's System bearbeitet. A. d. Englischen übersetzt von Abraham Hanemann, Arzt in Hamburg, mit Vorrede und Anmerkungen von C. Spr. Halle (Renger) 1815. VIII. 488 pagg. 8. c. tab. aen. coloribus illustrata.

J. P. Westring's Erfahrungen über die Heilung der Krebsgeschwüre. A. d. Schwedischen übersetzt mit Zusätzen. Halle (Renger) 1817. 26. 35 pagg. 8.

Tacitus' Germanien. Uebersetzt von Gustav Sprengel, herausgegeben von C. Spr. Halle (Schimmelpfennig) 1817. 103 pagg. 8. **Zweite Auflage** mit dem lateinischen Texte und Erläuterungen nebst einer Karte. Halle (Schimmelpfennig) 1819. 151 pagg. 8.

de Candolle und C. Sprengel Grundzüge der wissenschaftlichen Pflanzenkunde. Mit 8 Kupfertafeln. Leipzig (Cnobloch) 1820. VIII. 611 pagg. 8. — Translated from the German, with 8 plates. Edinburgh 1821. 8.

Theophrast's Naturgeschichte der Gewächse, übersetzt und erläutert. Altona (Hammerich) 1822. I. Thl. Uebersetzung. 358 pagg. II. Thl. Erläuterungen. 427 pagg. 8.

C. Linnaei systema vegetabilium. Editio decima sexta curante C. Spr. Vol. I — IV. P. 1. 2. Gottingae (Dieterich) 1825 — 27. 8 maj. (Vol. V. Index et supplementum auctore Antonio Sprengelio 1828.)

Literatura medica externa recentior, seu enumeratio librorum plerorumque et commentationum singularium ad doctrinas medicas facientium, quae extra Germaniam ab anno inde 1750 impressi sunt. Lipsiae (Brockhaus) 1829. 630 pagg. binis columnis. 8 maj. (Materia collecta erat a Dr. Ludovico Hain, a Spr. disposita, revisa et aucta.)

P. Dioscoridis Anazarbei de materia medica libri quinque. Ad fidem codicum manuscriptorum, editionis Aldinae principis usquequaque neglectae et interpretum priscorum textum recensuit, varias addidit lectiones, interpretationem emendavit, commentario illustravit. Lipsiae (Cnobloch). T. I. 1828. XXVIII. 850 pagg. T. II. 1830. 716 pagg. 8 maj. (Medicorum graecorum opera ed. C. G. Kühn. Vol. XXV. XXVI.)

C. Linnaei genera plantarum. Editio nova curante C. Spr. Gottingae (Dieterich). Tom. I. 1830. IV. 462 pagg. Tom. II. 1831. 308 pagg. 8 maj.

DIARIA.

Neue litterarische Nachrichten für Aerzte, Wundärzte und Naturforscher auf's Jahr 1787. Halle (Hendel) St. 1 — 60. 976 pagg. 8 maj. — Auf's Jahr 1788. Quartal 1 — 4. 1788 — 1789. 959 pagg. 8 maj. (Post mortem Dr. Bertrami a Spr. edit.)

Beiträge zur Geschichte der Medicin. Halle (Renger). Bd. I. St. 1. 1794. 239 pagg. St. 2. 1795. 245 pagg. St. 3. 1796. X. 270 pagg. 8.

Gartenzeitung. In Gesellschaft mehrerer praktischen Gartenkünstler herausgegeben. Halle (Gebauer). Bd. I. 1804. Bd. II. 1804. Bd. III. 1805. Bd. IV. 1806. 4. c. tab. aen. colorib. illustratis.

Jahrbücher der Gewächskunde, herausgegeben von C. Sprengel, A. H. Schrader und H. F. Link. Bd. I. Berlin u. Leipzig (Nauck). Hft. 1. 1818. Hft. 2. 1819. Hft. 3. 1820. 8.

Neue Entdeckungen im ganzen Umfange der Pflanzenkunde. I. Bd. Leipzig (Fr. Fleischer) 1819. c. tab. III aen. Bd. II. 1820. c. tab. III aen. Bd. III. 1822. 8.

SCRIPTA ACADEMICA.

Rudimentorum nosologiae dynamicorum prolegomena. Dissertatio inauguralis pro gradu doctoris, defensa Halae XVII. Septbr. MDCCLXXXVII. Halae apud Hendel 1787. 108 pagg. 8. recus. p. 1 — 42.

Quaedam articulum CXLVII. constitutionis criminalis Carolinae illustrantia profert, simul indidicit praelectiones suas per semestre hyemale in alma Fridericiana habendas C. Spr. Halae typis Hendelianis 1787. 12 pagg. 4. (Opusculum reperire non licuit, germanice legitur in: Pyl neues Magazin für die gerichtliche Arzneikunde Bd. II. St. 4.)

Viro magnifico, illustri, Ph. Frideric. Meckel, medic. doctor. ac profess. publ. ordinar., circul. Salic. physico etc. cum fasces academicos obtineret, gratulabundus, **Claudii Galeni tractatum de optimo medico, philosopho** graece et latine recudi curavit C. Spr. — — Ἡ μεγάλα χάρις — δώρῳ ξὺν ὀλίγῳ πάντα δὲ τιμᾶντα τὰ παρὰ φίλων. Theocrit. Id. 28. Halae, literis J. C. Hendelii MDCCLXXXVIII. (XII. Iulii.) 16 pagg. 4.

Honores summos academicos in utraque medicina a facultate medica Halensi viro illustri et expertissimo Carolo Augusto Schulz, regi Saxoniae, duci Varsov., a consiliis medicis, medicorum et chirurgorum in legione secunda polonica praefecto, ad diem XII. Aprilis MDCCCIX. mandatas celebrat C. Spr. Praemittitur **de loquela humana** commentariolus. Halae ad Salam in officina Batheanis. 36 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 143 — 155.

C. Spr. etc. etc. prolusione hac **de frumentorum, maxime secales, antiquitatibus,** disputationem (Animadversiones castrenses inscriptam) publicam filii Gulielmi Sprengel, chirurgorum castrensium praefecti eiusque promotionem d. XX. April. MDCCCXVI. a hora IX inde in auditorio maiori habendam indicit (testo Paschatis). Halae formis Friderici Grunerti filii. 8 pagg. 4. c. vita filii. recus. p. 42 — 46.

C. Spr. prolusione hac, **Hydrargyri antiquitates** illustranti, disputationem publicam iuvenum ornatissimorum Car. Gul. Aug. Buhle, Halensis, et Bern. Iac. Kohn, Megalopolitani, die XIX. Iul. MDCCCXXIII. h. l. c. habendam eorumque promotionem celebrandam indicit (XV. Iulii.). Halae, formis Frid. Grunerti. 13 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 47 — 50.

C. Spr. prolusione hac **antiquissimum regis Aegyptii Pheronis ἈΝΑΘΗΜΑ** illustrante, iuvenis ornatissimi Ernesti Meyerheine, Magdeburgici, disputationem inauguralem d. I. Sept. MDCCCXXIII. h. l. c. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit (XXV. August.). Halae formis Frid. Grunerti. 10 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 50 — 52.

C. Spr. **de artis chemicae primordiis** commentariolo hoc primo iuvenis ornatissimi Caroli Eduardi Flemming, Cizensis, disputationem inauguralem d. XVI. Septbr. MDCCCXXVIII. h. l. c. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit (XIV. Septbr.). Halae formis Fr. Grunerti. 12 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 53 — 57.

C. Spr. **de artis chemicae primordiis** commentariolo hoc altero iuvenum ornatissimorum Car. Frid. Aug. Giebelhausen, Frankenhusani, et Christ. Gulielmi Thölden, Schleusingensis, disputationem inauguralem die XI. Oct. MDCCCXXIII. h. l. c.

habendam eorumque promotionem celebrandam indicit (VIII. Octbr.). Halae formis Fr. Grunerti. 15 pagg. 8. cum vita doctor. recus. p. 57 — 61.

C. Spr. de artis chemicae primordiis commentariolo hoc tertio iuvenis ornatissimi Fr. Gul. Schweigger-Seidel, Leucopetra - Saxonis, disputationem inauguralem die XVI. Iunii MDCCCXXIV. h. l. c. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit (d. XII. Iunii). Halae formis Fr. Grunerti. 12 pagg. 8. cum vita doctor. recus. p. 61 — 65.

C. Spr. de superstitione imprimis docta ac medica, prolusione hac iuvenis ornatissimi, Mauritii Schotte, Schraplaviensis, disputationem inauguralem (de psoitide) die XVII. Aug. MDCCCXXIV. h. l. c. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit (XIV. Augusti). Halae formis Frid. Grunerti. 11 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 65 — 68.

C. Spr. prolusione hac de doctrina homoeopathica, iuvenum ornatissimorum Ludovici Nicolai Hachmann et Caroli Nicolai Fallati, utriusque Hamburgensis, disputationem inauguralem die XXIV. Aug. MDCCCXXIV. h. l. c. habendam eorumque promotionem celebrandam indicit (XX. Augusti). Halae formis Fr. Grunerti. 16 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 68 — 72.

C. Spr. Empedoclis commenta de protogaea illustraturus iuvenis ornatissimi Bernhardi Casimiri Iosephi Góra, Poloni, disputationem inauguralem d. XVII. Ian. MDCCCXXV. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit (d. XIII. Ianuarii). Halae typis Friderici Augusti Grunerti patris filiique. 8 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 77 — 80.

C. Spr. Quid collegia iurata seu sodalitia arcana, sacramento in silentium rogata, ad medicinam augendam fecerint? expositurus, iuvenis ornatissimi Hermánni de Chaufepié, Hamburgensis, doctoris medicinae et chirurgiae recens promoti, specimen inaugurale de pemphigo commendat. Halae formis Frid. Grunerti (1825). 12 pagg. 8. cum vita doctor. recus. p. 80 — 84.

C. Spr. de saeva pariter ac debili truncaque medii aevi chirurgia, praecepturus, iuvenis ornatissimi Francisci Schwabe, Dessaviensis, doctoris medicinae et chirurgiae, specimen inaugurale de hydrope morbos cordis excipiente commendat. (Halae 1825.) 10 pagg. 8. recus. p. 85 — 89.

C. Spr. de igne S. Antonii, medio aevo populari, commentariolo hoc iuvenis ornatissimi Gulielmi Plath, Hamburgensis, disputationem inauguralem d XII. Aug. MDCCCXXVI. h. l. c. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit. (Halae 1826.) 6 pagg. 8. recus. p. 89 — 92.

C. Spr. libelli Hippocratici de ossium natura aetatem originemque excussurus, iuvenis ornatissimi Ioannis Friderici Ed. Hartmann, Magdeburgici, disputationem inauguralem (de tuberculis praeternaturalibus) d. X. Nov. MDCCCXXVI. h. l. c. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit. (Halae 1826.) 12 pagg. 8. cum vita doctor. recus. p. 93 — 96.

C. Spr. de nova Dioscoridis editione rationem redditurus iuvenis ornatissimi Phoebi Mauritii Philippsohn, Dessaviensis, disputationem publicam d. XXII. Mart. MDCCCXXVIII. habendam eiusque promotionem celebrandam indicat. (Halae 1828.) 14 pagg. 8. c. vita doctor. recus. p. 96 — 102.

C. Spr. in **reddenda Dioscoridis denuo edendi ratione** pergens iuvenis ornatissimi **Cosmi Theodori Hirsemann**, Saxonis Borussi, disputationem inauguralem die XXI. Iunii MDCCCXXVIII. habendam eiusque promotionem celebrandam indicit. Halis Saxonum formis Grunertorum patris filiique. 12 pagg. 8. cum vita doctor. recus. p. 102 — 105.

C. Spr. **Antonii Henrici Theodori Roth**, Oldenburgensis, quem d. III. Aprilis h. a. (1830) ex decreto facultatis honoribus in medicina ac chirurgia summis publice ornat, commentationem de phthisi epiglottidis inauguralem commendat. **Vindicationis specimen, per quam propulsantur contumeliae ac iniuriae ab Avicenna.** (Halae 1830.) 9 pagg. 8. recus. p. 106 — 110.

C. Spr. commendandi iuvenis ornatissimi **Adolphi Arnhold**, Dessaviensis, gratia, qui d. XXX. Iunii MDCCCXXXII. summos in arte medica, chirurgia et arte obstetricia honores adipiscebatur, commentariolum de **homoeopathica medicina** evulgavit. Halis typis Baentschianis. 6 pagg. 4. recus. p. 72 — 76. (Versa est cum prima iam supra allata prolusione: C. Spr. über Homöopathie. Zwei Programme, geschrieben 1824 und 1832. A. d. Lat. übersetzt und umgearbeitet von Ludwig Lange u. eingeleitet von Ludwig Schragge. Magdeburg (Rubach) 1833. 44 pagg. 8.)

C. Spr. commendandi iuvenis ornatissimi **Christiani Friderici Probst**, Lubecensis, causa, qui d. XXX. Iunii MDCCCXXXII. summos in arte medica honores adipiscebatur, scriptiunculam de **Apsyrto Bithynio** evulgavit. Halis typis Baentschianis. 6 pagg. recus. p. 110 — 116.

COMMENTATIONES IN DIARIIS

aliisque libris collectivis numerosae sane scriptae sunt a Sprengelio, sed ipsa diaria inspicere omnia neutiquam concessum est. Frustra quaesivimus e. gr. Transactions of the Linnean society, Acta Holmensia, Petropolitana, Bulletin de la société philomathique de Paris, Mémoires de la société d'histoire naturelle de Moscou, Annales Wetteravienses, Ratisbonenses etc. Alias in vasta illa encyclopaedia ab Erschio et Grubero edita legendas enumerare longum est. Diarii: „Beiträge zur Geschichte der Medicin" a se editi maximam partem suis complevit disquisitionibus. Sufficiat inde eas revocare commentationes, quae ad artis nostrae spectant historiam, aliorum diariis insertas; sunt vero hae:

Commentar zu Hippocrates Aphorismus IV, 5. und des Hippocrates Begriff vom Exanthem, in: Baldinger Magazin St. 4. p. 5. N. Magazin Bd. VIII. (1786.) St. 4. p. 368 — 80.

Kurze Uebersicht des Kaiserschnitts und chronologische kurze Anzeige der über diese Operation bis 1790 herausgekommenen Schriften, in: Pyl Repertorium f. d. öffentl. u. gerichtl. Arzneiwissenschaft. Bd. II. p. 115 — 136.

Observationes circa constitutionem epidemicam Halensem, autumnalem et hyemalem anni 1790, in: Nov. Act. acad. nat. curios. T. VIII. p. 177 sq.

Beantwortung der Frage: Was ist Geschichte der Arzneikunde und wozu nützt sie den Aerzten: in: Gruner Almanach für Aerzte etc. auf das Jahr 1794. p. 1 — 18.

Ueber Plato's Lehre von den Geisteszerrüttungen, in: Nasse Zeitschrift f. psych. Aerzte. Bd. I. (1818.) Hft. 2. p. 159 — 73.

Ueber die Narden der Alten, in: Berliner Jahrbuch für Pharmazie. Jahrg. XXIV. 1822. p. 5 — 16.

Vitam enarravit C. Linnaei in: Der Biograph. Bd. VIII. St. 2. p. 207 — 256. (1808) — Roberti Boyle ibid. St. 4. p. 469 — 92. — Albr. ab Haller ibid. Bd. VIII. St. 1. p. 33 — 70. — Fr. Baconis a Verulam. ibid. p. 71 — 114. (1809.) — aliorumque. Iudicium publicum tulit de libris varii argumenti in actis litterariis Ienensibus, Lipsiensibus, Halensibus etc., servat filius ex anno 1794 ad annum 1812 usque plusquam trecentas recensiones et quidem non solum de medicis vel herbariis rebus, sed de Dantii etiam, Petrarcae, Tassonis exemplaribus, de Adelungi Mithridate etc.

DISSERTATIONES INAUGURALES DICTAS

discipulorum nomine ex aevi more permultas scripsit, sed memoriae tradere eas neglexit auctor; mittamus ergo quamquam de nonnullis res certa et ab ipso Sprengelio indicata sit, ne iniuriam alicui faciamus.

I.

RUDIMENTORUM NOSOLOGIAE DYNAMICORUM PROLEGOMENA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PRO GRADU DOCTORIS, DEFENSA HALAE XVII. SEPTBR. MDCCLXXXVII.

INTRODUCTIO.

1.

Recte quidem iam olim, qui primus post Ebnsinam desertam restituit chirurgicam artem, Abulcasem Ibnu 'l Abbas, cognomine Alzabaraf, monuit: 1) مَنْ يُجَرِّبْ يَزِدْ عِلْمُهُ وَمَنْ يُؤْمِنْ يَزِدْ غَلَطُهُ (quemcunque, qui experiatur, augere scientiam, qui vero credat, augere errorem). Tantus enim, tamque multiplex usus experientiae ipsius in arte medica, ut media nocte gradari videatur is, qui eadem destituitur, utque plures exstiterint vere rationales medici, qui, licet optimas in museo excogitarent theorias, totumque iisdem superstruere conarentur systema, impedire tamen nequiverunt, quominus lumine experientiae illustrata istiusmodi conamina multum amiserint auctoritatis atque praestantiae.

2.

Habet enim hoc medicina singulare, ut, quas profert theoria theses, quamvis primo intuitu optime elaboratas, fidisque atque firmis stabilitas argumentis, experientia illico totas illustrare, quidque veritati consentaneum, sive quid absonum sit, luce meridiana clarius possit monstrare. Talibus autem commodis, ut mihi quidem videtur, aliae fere destituuntur scientiae, ubi non adeo promte consulendi experientiam facultas offertur. Undequaque resonant querelis theologorum philosophorumque scripta et acroateria (quorum tantum iudicem, uti aiunt, competentem exhibere me possum) de vanis atque fictitiis, quas a conditis inde scientiis excogitant iactatores, hypothesibus; solent quoque viri et cognitionum et iudicii profunditate multis aliis superiores easdem

1) Al-tesrif Part. XII. Oxon. cur. Channing. 4. 1778. Vol. I.

confutare atque penitus destruere; neque tamen inficias eundum, quandoque multum abesse, ut clare atque distincte possint futilitatem et vanitatem aperire earundem theoriarum, ut potius in medio saepius haereant, neque quo se vertant, videant. At nostrae id convenit, tanquam eximia praestantia, scientiae, experientia statim ostendere, quantum absint a veritatis norma hypotheses solo ingenii acumine sese commendantes. Statim enim saepius, prolata eiusmodi theoria, praebetur occasio, veritatem eiusdem aut falsitatem experimentis diiudicandi, quae, nisi aere triplici sit frons adversarii ornata, illico, quantum a veritate absit aut cum eadem conveniat, manifestant. Late ac diu per universum artis nostrae imperium dominabatur mechanismi in corpore humano idea, eo magis universalis, quo longius recesserunt medici a via ista omnino recta, quam antesignanus noster, magnus Cous, signatam primus incessit. Num autem nostris temporibus adhuc aeque amplum theoriae istius est dominium, ubi per viginti et quod excurrit, annos ex Anglia ortum est lumen restitutae medicinae dynamicae, per totam Germaniam beneficos expandens radios, systemata, quotquot antea exstiterunt, funditus destruentes? Num aeque nostris temporibus difficile erit, futilitatem hydraulicarum legum in mutationes corporis animalis varias applicatarum, acrimoniarum inter morbos aut causas morbificas residentium luce meridiana clarius manifestare? — Non arbitror; legentem enim, qualia exstiterunt per hoc decennium celeb. virorum Unzeri[2]), Hoffmanni[3]), Schaefferi[4]), Gregorii[5]), Cullenii[6]), Musgravii[7]), Macbridii[8]), Fordycii[9]), Mezleri[10]), aliorumque eristica aut dogmatica scripta haud amplius latebit; quorsum pertinent et Ernestus Platner, vir non saeculi sui sed omnis aevi summus, in additamentis vernacula lingua ad Haenii b. m. rationem medendi scriptis, Weberus in notis et mantissa ad Tissoti immortale opus des Nerfs et de leurs maladies, Exc. Isenflamm in praktischen Bemerkungen über die Nerven und Eingeweide, Ill. Weikard, qui licet, proh dolor! acris veteris medicinae contemtor, multa tamen atque egregia, veterum doctrinam redolentia, protulit in suis vermischten medicinischen Schriften, Aepli in Tr. vom bösartigen Fieber, Elsner, cuius Beiträge zur Fieberlehre haud satis laudare possum, Burse-

---

2) Pathologie der ansteckenden Krankheiten. 8. Hamburg. 1782. 3) Ueber die Ansteckung. 8. Münster. 1782. 4) Theoretische Versuche aus der Arzneiwissenschaft. 8. Regensburg. 1784. 85. 2 Th. Opus immortalitate dignissimum. — 5) Anfangsgründe der theoretischen Arzneiwissenschaft. 8. Leipzig. 1784. 6) First lines of the practice of Physick. 8. Edinburg. 1784. IV. Vol. 7) Betrachtungen über die Nerven und Nervenkrankheiten. 8. Leipzig. 1776. 8) Systematische Einleitung in die Anfangsgründe der praktischen Arzneiwissenschaft. 8. Leipzig. 1783. Zwei Theile. 10) Von der Wassersucht. Eine gekrönte Preisschrift. 8. Augsburg. 1787.

rius de Kanilfeld in Tractatu de cognoscendis et curandis febribus, qui cuncti minus ad mixtionem fluidorum, quam ad robur et vires solidorum in dignoscendis morborum caussis et effectibus respexerunt.

3.

Struam autem in hisce paginis non proprium systema, Vulcano enim digna arbitror eiusmodi systemata: sed in eo totus ero, ut primis principiis medicinae, et praecipue nosologiae substernam fundamenta tutiora, quibus exstructa scientia nostra philosophiae summae indolem prae se ferat, ut recte b. Hoffmannus, summi nominis vir inter Germanos, appellavit medicinam scientificam [11]). Habet hoc nostrum aevum peculiare, ut contenti sint eruditi vel hypothesibus vel thesibus, quas pro axiomatibus habent, quae tamen nihilominus theoremata sunt putanda, atque demonstratione egent ex aliis scientiis, praecipue autem ex philosophia petenda. Vulgare praesertim vitium est scriptorum medicorum et maxime nosologorum et veterum et recentiorum, assumere vel lemmata, vel ideas ex philosophia speculativa, quae rite non retenta saepius commutabantur, neque pristinae suae formae respondebant. Cuicunque hoc ex idea naturae et virium aequilibrii notum erit, quam precario haec omnia in scriptis medicorum assumantur, tanquam nullius demonstrationis indigentia. Haec itaque, velut prima rationalis scientiae nostrae principia, antea a nullo tentata, dilucidare et explicare conabor.

4.

Non nego tamen, varia me in prima sectione proferre, quae minus applicata videantur ad dogmata sectionum sequentium: attamen cum de vi generatim loquerer, plures quoque eius qualitates attingere me oportebat, quae omnino in opere ipso magis illustrabuntur.

SECTIO PRIMA.

VIS.

1.

Cognitiones humanae versantur in rebus, quae vel sensibus vel ratione pura percipiuntur. Differentia haecce a multis reiecta, ratiocinatione rite instituta, luce meridiana clarior apparebit. — Scimus enim adesse veritates aeternas, necessarias, sub sensus haudquaquam cadentes, quae percipiuntur ideis sic dictis congenitis. Solent, qui hic se opponunt adversarios, sensuum

11) Med. Rat. System. II. Proleg. c. 11. §. 18.

necessariam praesentiam et influxum ad excitandas, quotquot unquam oriuntur, ideas, per insomniorum exemplum demonstrare, ubi nihil in animum incurrit, nisi quod antea sit sensibus perceptum. Satis nota est lex universalis ista, nullosque admittens terminos: „in phantasia nihil adesse, quod antea non erat in sensatione." Prolata haec thesis non obstat, quominus, existere tamen posse ideas a sensuum influxu haudquaquam pendentes, experientia eorum, qui fere ἀναίσθητοι aut ὀλιγαίσθητοι nati sunt, evicti contendamus. Observantur istiusmodi homines clare atque certe iudicare de rebus, quorum notitiam neque per auditum, neque per visum potuerunt adquirere: sicut notio Dei, virtutum et quae id genus sunt alia immaterialia neque sensibus percipienda.

Habeo, qui mecum sentiant plures nostri aevi egregios philosophos, Ernest. Platnerum in Aphorism. §. 75. des Maiseaux Recueils de divers. pièces; Locke Essai sur l'Entendement humain; Leibnitzium in Commerc. epistol. cum Bernoull. habit.; Mendelsohnium in Phaedon. etc.

2.

Aliae iterum sunt ideae, quae nonnisi sensibus percipiendae, nulla indigent definitione, neque demonstratione: cum sint simplicioris naturae, neque habeant, quibus notentur, notas characteristicas plures, quam unam. Late per universum amplissimum philosophiae imperium vagatur, multoque magis divagata est olim pessima ista consuetudo, cuncta definiendi, explicandi, demonstrandi, quae definitionem, explicationem, demonstrationem tamen effugiunt ob simpliciorem indolem, notarumque, quibus discerni possunt, characteristicarum defectum. Hinc definitiones istae mirificae; hinc circuli frequentes in explicandis primis notionibus, quas dicunt fundamentales. Quales autem hae sint, inter iudices adhuc lis est: solent enim alii plura recensere inter primas et simplices notiones, quae mihi quidem locum istum mereri haud videntur. Hoc tamen certum est, adnumerari istis notionibus simplicioribus et primariis notionem VIS omnino debere.

3.

Vis itaque, quatenus tactu ipso ad eiusdem notionem progredi licet, sensibus est percepta notio et quidem eiusmodi, quae simplicioris tanquam indolis notas characteristicas habet ita paucas, ut distincta plane nos fugiat eius idea, neque eam ob rationem γενετικῶς definire aut circumscribere possimus, quid proprie sit. Erat vulgaris in veterum aeque ac recentiorum philosophorum compendiis [1]), quorum quae legi, infra allegavi, definitio

---

1) Citare placet, ne plures, Baumeisterum, Wolfium, Bilfingerum, Cantzium, Federum, A. G. Baumgartenum: quos omnes plus minusve unum idemque definitione sua indicare, neque quomodo circulum in definiendo evitare valeant, habere invenies.

vis ea, vel quod sit conatus agendi, vel substantiale in substantia, sive ratio sufficiens accidentium. Ex definitione hac ulteriori ad notionem substantiae, et ex hac ad illam transibant, neque definita substantia vim excludere, neque definitione huius illam evitare poterant. Altera, in Wolfii praecipue, summi inter Germanos philosophi, scriptis invenienda definitio nihil mihi non solum indicare, sed usui quoque loquendi penitus contrariari videtur: conatus enim nihil est reipsa exsistens, est mortuum quid; neque concipere possum, quomodo vim vocarem conatum agendi. Ponamus praeterea annulum elasticum vim suam impendere ad propellendum corpus, nonne transibit vis in corpus, nonne movebitur cum eodem, neque idem deseret, donec appellet aliquando? Iterum assumamus, annulum penitus elasticum retinere vim suam, ita ut corpus quotiescunque lubet, propellere possit: quodsi autem haud penitus elasticus sit annulus, perditum ibit semper aliquid vis. Hinc manifestum est, hic VIM facultatem pellendi, illic autem impulsum ipsum significare. Alias substantia ipsa, cui facultas ista est essentialis, appellatur VIS. Unde patet, quotuplex sit vocis nostrae significatus, neque posse nos adaequatam proferre eiusdem definitionem, nisi ad diversum loquendi usum respiciamus.

4.

His itaque breviter praemissis, pauca quaedam de vi proferamus, quae notatu digna et ad nostram instituti rationem facientia videntur. — a. Quidquid exsistit, habet vim. Hanc thesin breviter atque dilucide olim ita demonstratam inveni: Quidquid est, dat specimina exsistentiae suae, quum alias a posteriori eadem demonstrari haud possit. Posse vero ens quoddam dare exsistentiae suae specimina absque vi, absurda foret hypothesis. Si autem egregiam hanc, licet indirectam, demonstrationem deserere, aliamque magis velis eligere, sequaris per me licet Cel. Federum et A. G. Baumgartenum, qui praemissis suis de substantia thesibus, ex his ad vim concludere sibi sumunt.

5.

b. Vis est notio, quae fere tantum ad soliditatem et ad mundum ut ita loquar, materialem applicari posse videtur. Namque sensus sunt, qui nobis ad ideam vis accedendi viam muniunt; cum autem materia tantum sit obiectum sensuum externorum, materialem tantum vim proprie nobis imaginari valemus. Nihilominus notionem saepius esse transcendentalem, quam vocant, et ex mundo materiali in immaterialem transire, observatur: hinc vis animi probe discernitur. Habemus vim virtutum et vitiorum, vim Dei omnipotentem e. f. p.

Regerere hic mihi, qui Kantium, magnum illud in literis nomen, philosophiaeque facile principem, sequuntur, vanitatem videntur ideae istius, quam cum soliditate vulgo combinare solemus. Salva

tamen mea res est. Haud arbitror enim substitutam nostrae soliditati ideam virium repulsivarum materiei, de quibus infra (§. 6.), posse solidiorem esse nostra, nisi sit prorsus eadem. Neque enim, nostro arbitrio, vim quandam fundamentalem, velut necessariam ut ea exstruatur materiei idea, excludere possumus.

6.

c. Cum quidquid existit, habeat vim, (§. 4.) inter omnes constat, materiem nullam ne cogitari quidem absque vi fundamentali posse. Hoc theorema luce meridiana clarius patens placuit Kantio nostro multis, maxime definitione ipsa materiei demonstrare, quam ita protulit, ut esse mobile, quatenus spatium impleat, statueret. Implere autem spatium nihil aliud est, nisi resistentia particularum materialium, quam exercent erga quodcunque intrudere conans: hinc nihil nisi activarum virium actionem ad notionem materiei referri debere contendit, quod iam ante eum Cel. Ernest. Platnerus statuerat. Cum autem, si solae adessent in materia vires repulsivae, limitibus non circumscripta mirifice confunderetur, necesse est assumatur alia vis priori contraria, quae attrahit corpora quaevis et approximari particulas vel minimas facit. Hanc cum nominamus vim attractricem, sequitur, posse nos nec illam materiei notionem habere absque assumta utraque hac vi, quae ad essentiam materiei pertinet. Vires itaque repulsivae et attractrices sunt primariae atque fundamentales in materia, absque quibus ne cogitari quidem potest.

N. 1. Si repulsivas vires in quacunque materie tanquam essentiales assumimus, omnem quoque materiem esse proprie elasticam sequi necessarium putamus. Hinc a priori id dilucide exponitur, quod Cel. quondam Zimmermannus experimentis convictus in suo de elasticitate aquae tractatu explicuit: unde quoque meliores auditus theoriae promanant. — 2. Quoniam impenetrabilitas materiei absoluta nihil est, nisi qualitas occulta, neque potest definiri, impletionem spatii tanquam relativam considerare debemus impenetrabilitatem, quod patet ex principio impletionis ipsius. — 3. Videntur veteres assumsisse principia substantiarum materialium activa, quas *ειδῶν, ἰδεῶν, μορφῶν, μοναδῶν, ἑνὸς, ψυχῆς, νοὸς, ποιοτητῶν, ἐντελεχείας* nominibus insignierunt: cum eadem tanquam effluvia materiei primariae, vel animae mundi contemplabantur. Pythagoras Samius, Platon, Eleatici, Anaxagoras, Aristoteles varia de ideis seu formis substantialibus protulerunt, quae tamen in eo omnia concurrunt, quod de iis iam elocuti sumus. Dominabatur per totam posteritatem Aristotelica haec scientia entelechiarum et formarum substantialium; ut et Avicenna [2]) dixerit: وأما الفاعل بجوهره فهو الفاعل بصورته النوعية التى بها هو هو (quidquid agit substantia sua, agit id forma sua specifica, per quam est id ipsum, quod est,) et Petr. Abelardus [3]) unitatem suam formalem saepe saepius allegaverit; quo et Moses Maimonides [4]), R. Nathan ben Iechiel in Lexico, עָרוּךְ dicto et

---

2) Fen. I. Sect. II. Tr. II. c. 15. f. 47. ed Rom. 1593. 3) de trinitat. tract. 4) אִגֶּרֶת תְּקוּמַת הַמֵּתִים.

Alexander Halensis, doctor sic dictus irrefragabilis, et **Iohannes Bonaventura** Bagnanensis aliique permulti pertinent.

7.

d. Quamlibet a Ploucqueti[5]) partibus stare non possumus, cum solo intellectu vis notionem capi posse, nec imaginatione, contendat, quoniam antea sensualem esse tantum ideam statuimus, qualitatem tamen quantitatemque vis determinatae cuiusdam ex solis effectibus posse diiudicari certum est. Ex lege enim, cui adstricta celeritas increscit, ad methodum concludimus, qua ratione vis operetur, cum celeritas tantum sensim atque gradatim augeatur. Quocunque temporis momento est $t = c$. Vis tribuit corpori quacunque temporis particula indefinite minima dt, celeritatem dc; atque proportione statuta inter c et t erit $c = mt$. Spatium tempore t peractum x; spatium tempore dt, celeritate c peractum $cdt = dx = mtdt$, qua formula integrata prodit:

$$\frac{mt^2}{2} = x = \frac{c^2}{2} : m$$

Unde inferimus, spatium increscere pro quadrato temporis et quadrato celeritatis.

8.

e. Solent varii philosophi, praecipue autem qui Leibnitzium, virum non saeculi sui, sed omnis aevi optimum et summum, sequuntur, distinguere accurate vim et mortuam et vivam, de quibus proferunt theoremata varia et disiunctiva. Non autem cum is sim, qui hic omnia dilucidius exposita rite examinare et accurata ingenii lance trutinata decidere valeam, labyrinthum primis velut lineamentis, atque rudi tantum penicillo leviter adumbrabo, proferens in opere ipso nonnulla huc facientia.

9.

Ceterum vero vim haudquaquam habere unitatem absolutam et determinatam, sed quacunque quantitate, quocunque robore assumi posse, fundari praeterea omnes combinationes, proportiones positivas, compositiones et possibilitates positivas in viribus per se patet, neque eget ut amplius de ea re verba faciamus.

10.

Nisi corporis humani alia foret nostra cognitio, tamen quoad materia debet habere vires, quas modo materiei proprias et primitivas praedicavimus. Hae sunt vires attractrices, repulsivae et quae inde denique pendent, quas particulis corporis humani singulis atque minimis omnino tribuere oportet. Praeter vero hasce

---

5) Fundament. philos. specul. 491.

vires, sine quorum auxilio ne cogitari quidem cohaesio particularum minimarum potest, quae itaque ubique occurrunt in corpore humano, praeter hasce vires dantur adhuc aliae corpori animali tantum vivo insitae, neque alias in tota natura, nisi plus minusve ad naturam animalem accedat corpus, reperiundae. Ad harum tractationem, praemissis primis his metaphysicis principiis iam nos accingamus.

SECTIO SECUNDA.

VIRES CORPORIS ANIMALIS ET NATURA.

11.

Vires materiei mortuae cuicunque propriae, quae vel attractrices vel repulsivae habentur, universum actionum omnium in corpore animali vivo momentum haudquaquam constituere posse, antiquitus iam et philosophis et medicis satis notum fuit. Stat enim et per aeternum stabit magni Pergameni, iam a remota antiquitate recepta thesis: *Μέγιστον ἀξίωμα τὸ τῶν δυνάμεών ἐστιν· αὐτὸ γὰρ τὸ ζῆν ἡμῖν ἐκ τῆς τούτων ὑπάρχει φυλακῆς.* [1]) Quam licet optimam et cum vera ac rationali medicina optime quadrantem defenderit Galenus, haud tamen totus abfuit a vanis quibusdam theoriis, quae per posteritatem nimis credulam receptae, magno nomini fidentem, diu dominabantur et adhuc dominantur in nostra arte. Interiectis demum saeculis quatuordecim fere mutabatur tantum forma, mansit reipsa dominium mechanicae medicinae. [2])

---

1) Galen. Meth. med. IX. [c. 13. ed. K. Vol. X. p. 643.] 2) Pauca tantum exstant in variis posteriorum medicorum scriptis, quae recedunt a theoria Galenica et magis mathemata sapiunt. Talia deprehenduntur in Iac. de Dondis Aggregatoris Patavini, Promtuario medicinae quod primum prodiit. Venet. fol. 1481. recus. 1576. Petri de Apono, Saec. XIII., Conciliatore differentiarum, quae inter philosophos et medicos versantur. fol. Venet. 1471. Iac. de Partibus Tornacensis, archiatri regis Galliarum Caroli VII. Glossa interlineari in practicam Alexandri. fol. Venet. 1520. (Febrem purpuratam hunc primum observasse mihi certum est.) Andreas deinde Vesalius, magni nominis vir, professor Pisanus et archiater regis Hispaniarum, iam ante Paracelsum auctoritatem Pergameni evertere conatus est: quo inter alia pertinet minus nota, sed non satis commendanda Paraphrasis lib. IX. ad Almansorem. 8. Witteberg. 1586. Io. Phil. Ingrassias Prof. Panormitanus, in Iatrapologia, 8. Venet. 1544. multa habet magnam et solidam scientiam prodentia.

12.

Cum enim gloriabundus vir et superbus Theophrastus Paracelsus ab Hohenheim, Gaissa-Abbatiscellensis, observasset, multos morbos remediis, quibus medici illius temporis Galeno addicti utebantur, curari non posse, aut saltem nimis tarde curationem praestari, remediis vero aliis laborisiori sua arte et praesertim ex metallis paratis maiorem et celeriorem effectum atque curationem obtineri, hi arti chemicae addicti in Galenicos eorumque inertia multa remedia acriter invehebantur (inter quos e superiori saeculo quoque Helmontius uterque referendus, qui philosophum per ignem se dici amavit), multa phaenomena corporis sani et aegri, actionesque medicamentorum ex chemicis principiis, aqua, terra, sale, sulfure et mercurio promtius explicuerunt, atque Galenicis tandem fere prorsus prostratis, sectam constituerunt, quae, nisi concertatio multa atque acerrima orta fuisset, unica fere mansisset. Obstiterunt enim Arabum sectatores et Galeni, ne latius sese expanderet eiusmodi futilis atque vana doctrina, quae tamen, ut accuratius disquirerent medici Galeni disciplinam, neque coecos sese eidem addicerent, occasionem praebuit. Habemus ex hoc aevo eristica plurima scripta, ex quorum lectione necessario sequens summa molestia compensatur tamen eximiis aliis veritatibus, quas alias pro novis habueris. [3])

13.

Cum itaque postea alii, iique magni viri et Galenicos et Chemicos sua habere bona atque commoda in arte medica, nullamque harum sectarum prorsus reiiciendam esse perspexerint, concordiam inter has duas sectas atque amicitiam constituere satagerunt; id quod prae ceteris Dan. Sennertus in libro de consensu et dissensu Galenicorum et Peripateticorum cum Chymicis. 4. Paris 1633., Georg. Wolfg. Wedelius in Pathologia sua dogmatica, 4. Ien. 1692. et, ut plures taceam, Mich. Ettmüllerus

---

3) Huc genium aevi sui omnino redolens disceptatio inter Arabistas et Galenicos de vena secanda: steterunt enim ab hac parte Michael Servetus celeberrimus vir, qui in Ratione Syruporum et Apologia Fuchsii, 8. Paris. 1536. contra Arabes pro Galeno et Graecis dimicavit: huc Leonardi Fuchsii Apologia contra Brachelium. 4. Hagenov. 1534. Cornarius furens, 8. Basil. 1533: huc Io. Caius Anglus, in methodo medendi, 8. Basil. 1544: huc Nicol. Monardis Concordia inter Graecos et Arabes de secanda vena in pleuritide, 8. Antwerp. 1564. Matth. Curtii lib. de venaesectione, maxime in pleuritide. 8. Lion. 1538. et denique Petr. Brissotus Pictaviensis, martyr suae theseos, Amatus Lusitanus. Ad horum adversarios, partimque ad contemtores Galeni censentur Hieron. Cardanus Mediolanensis, Io. Argenterius Prof. Neapolitanus et Taurinensis, acumine ingenii summo, Andr. Thurinus, medicus Florentinus, Vict. Trincavella, Prof. Patavinus, Io. Thriverius Brachelius et Franc. Bonafides.

in fundamentis medicinae verae 4. Francof. 1685. praestiterunt. — Suppari aetate fere, qua secta chemica caput quam maxime extulit, Renatus Cartesius, philosophiae Aristotelicae fundamentis eversis, praecipue autem reiectis atque explosis elementis et qualitatibus veterum sic dictis occultis, suam stabilivit theoriam, qua mox et in physicam et medicinam introducta, adeo certis postea ut arbitrabantur, talis medici verbis nonnulli innitebantur, ut, nisi ad placita Cartesii exarata, omnia reiicerent. Eiusmodi fuit praesertim Waldschmidius et Beniamin a Broeckhuysen in Oeconomia corporis animalis, 4. Amstelodam. 1683., quam haud absque fructu et voluptate me legere memini. Habuit hoc philosophia Cartesiana ad corporis humani structuram et oeconomiam tam naturalem quam praeternaturalem applicata, omnino singulare commodum, ut ex solis mechanicis vel chemicis principiis haudquaquam dilucidare conaretur phaenomena corporis humani; verum enim vero alia et longe deteriora fere introduxit proposita, quae cum satis satisque iam sint ab aliis confutata, sicco, ut aiunt, pede eadem transiens, ad maxime notabilem et dominantem me conferam sectam, quae a summis in nostra arte antesignanis cum sit exposita, praedicata, commendata, atque ubique applicata, multos quoque habuit, imo quam plurimos asseclas, qui omnes in eo uno convenerunt, ut machinam dicerent corpus humanum, cuius mutationes quaecunque ex sola structura partium organicarum et mixtione fluidorum explicari rite possint. Nihil habeo ad praestantiam et utilitatem huius mechanicae medicinae dicendum, cum omnibus fere notum sit: sed varia tamen, eaque magna fuerunt damna, quae ex eadem promanarunt.

14.

Ut enim taceam ἀναρχείαν principiorum ex mechanica et hydraulica petitorum applicationis ad phaenomena ipsa explicanda, grave fuit omnino detrimentum eiusmodi theoriae in therapia. „Corpus enim humanum, tanquam machina consideratum, requirit „remedia, quae nonnisi in machinam agunt; opponenda acidis „alcalina, spissis tenuia, strictis laxantia, laxis adstringentia, ne-„que ullus respectus innati istius calidi, seu virium corpo-„ris vitalium habendus. Haec superflua, reiicienda ad veterum „et Helmontianorum theoriam." Talis fuit sequela tristis mechanicae medicinae. Quam cum amplissimam conspiceret magnanimus Stahlius, exstruxit sibi peculiare aedificium, de animae rationalis dominio in corpore animato desumtis fundatam cogitatis. Erravit in hoc unico summus vir, ut differentiam veterum inter animam rationalem, vegetativam et organicam, iam a Galeno celebratam, transierit, unde errores de voluntati animae subiectis omnibus corporis actionibus promanarunt. Assumsit enim animam humanam, cuius natura sit ab infinito abhorrens, esse circa affectiones corporum occupatam; corpora autem tantum sub figuris et schematibus comprehendit. Hinc de nulla re animam

iudicavit posse cogitare, nisi sub specie quadam corporea; nec posse animam ullam qualitatem aut corpus, nisi sub forma aggregationis cogitare. Cum igitur hic sit verus atque universus animae nostrae scopus, ut exsequatur istas corporeas affectiones, media quoque illi scopo congrua animae esse dicanda. Inde elucet, organa corporis esse instrumenta animae propria atque essentialia, sine quibus agere nunquam possit. — Haec et alia permulta, perquam utilia in Dissert. de mechanismi et organismi diversitate: quo etiam pertinent alii tractatus, videlicet paraenesis ad aliena e re medica arcenda, et de differentia corporis mixti et vivi. — Quamlibet eiusmodi proposita rationi valde analoga, exceptis aliquot nimis late extensis et ad animam rationalem applicatis, quae de anima organica et vegetativa tantum veteres intellexerunt, ab omnibus quae reciperentur digna fuerint, pauci tamen a partibus Stahlii steterunt, inter quos eminent b. Ioh. Iunckerus et Georg. Phil. Nenterus Argentoratensis.

15.

Corpus humanum machina cum dici possit haudquaquam, quoniam ex sola structura et mixtione solidorum aeque ac fluidorum mutationes omnes ac phaenomena declarari nequeant, esse idem organon et complecti instrumentalitatem, patet ex argumentis sequentibus: — a. Motus ab agente et movente nunquam potest secludi: motus autem semper supponit vim substantialem moventem, quam a veteribus naturae nomine insignitam fuisse, mox dicetur. — b. Motus, tanquam affectus fere immaterialis conservat corpus humanum et maxime animatum ad perennitatem, cum per se sit ad corruptionem valde pronum [4]). — c. Quodsi discesseris a naturae *αὐτοκρατεία*, ex solis physicis, mechanicis et chemicis legibus dilucidari nullo modo poterit phaenomenorum et in statu naturali et in aegritudinibus copia.

N. Exempli gratia solum allegare placet Cel. Franc. Boiss. de Sauvages, ceterum vere rationalis medici, tentamen, actionem medicaminum ex hydrostaticis principiis explicandi, quod, quam male sit institutum, cum ex ephebis nondum essem eggressus, iam levato tanquam velo dilucide conspexi.

d. Nihilominus tamen, quamlibet corporis potestas in animam concedatur, animae tamen rationalis energiam in naturales actiones corporis, quin negem plane, haud possum impedire. Namque, quam sit inde pendens quaeque corporis humani actio naturalis ab arbitrio animae, patet ex ipsa experientia, qua quotidie convin-

---

4) Hoc a corpore inorganico, a machina alienum, firmiter enim constructa ad dissolutionem non sunt proclivia, nisi motus accedat. Conferant, qui altis superciliis haec legerint, Hemsterhuysii mei philosophische Schriften. 8. Leipzig. 1782. P. II. Aristaeus, von der Gottheit etc.

cimur, nihil posse agere in digestionem, nutritionem, secretionem et motum sanguinis animam rationalem.

N. Haec fuit ratio hypotheseos Iohnstoni, qui ganglia nervorum ad organa eiusmodi progredientium eam ob caussam constituta autumavit, ut ne dependeant sola ab anima et sensorio communi; sed faciant propria sensoria. Iohnstons Bemerkungen über den Nutzen der Nervenknoten. 8. Stettin 1787.

16.

Postquam Ill. ab Haller, cui nihil humanarum scientiarum videbatur incognitum, qui praecipue in physiologia et anatomia ita numeratur primus ut fere nemo numeretur secundus, irritabilitatem suam invenit et scriptis et experimentis illustravit, maiorem dederunt posteri operam ut vires corporis humani primarias rite cognitas ad plurium phaenomenorum in statu sano et morboso explicationem sedulo applicarent, atque de die in diem magis relinquerent malas istas acrimoniarum et mechanicorum principiorum hypotheses.

17.

Quamvis enim iam a priscis inde temporibus[5]), sub aliis denominationibus medicis innotuerit irritabilitatis Hallerianae quid analogum, ut mox, exemplo calidi innati, videbimus, noster tamen primus fuit, qui et nomen illi indiderit et plures eius demonstraverit antea incognitas qualitates. Est autem irritabilitas facultas quarumdam partium corporis humani a stimulo applicato sese contrahendi, quae maxime manifestatur in musculis, nihilominus tamen et in fluidis a quibusdam, velut Huntero, at perperam, ut videtur, assumta fuit. Solida autem ista, quibus inest vis irritabilis, esse tantum fibras musculares et quascumque partes ex his constructas, creditur fere ab omnibus post Hallerum. Neque vero minimas arterias esse irritabiles negarem, cum spiritus vini actio in vasa inflammata adnatae ex propria experientia mihi constet, ut et effectus applicatorum vesicatoriorum in cutanea vascula. Imo de vena cava, de aliis venis[6]), de utero ipso, de vesica urinaria felleaque multis liquet phaenomenis, irritabilitate omnino esse praedita. Ubique irritabilitatem

---

5) Galenus iam contrahi adhuc cor, corpori exemtum, observavit. De placit. Hippocr. et Platon. IV. [?] Glissonius fibras musculares ab acribus stimulis contrahi, asserit, De ventriculo et intestin. c. 7. n. 3., qui quoque dependentem aliquatenus esse irritabilitatem a sensilitate assumsit. L. c. c. 9. n. 5. 6. 7. dein quoque Swammerdam tr. de respirat. c. 7. §. 5. Plura, quae copiosa certe sunt, colligere de notione irritabilitatis, ante Hallerum longum foret, cum mox calidum innatum veterum analogon quid fuisse, pluribus testabimur argumentis convicti.
6) Walth. Verschuir de arteriarum et venarum vi irritabili. 4. Groning. 1766.

enim assumere quid quaeso impedit, ubi stimulus applicatus contractionem facit, non quidem adeo violentam, ut exsangues appareant fibrae musculares, quod in spasmo accidere arbitramur, sed ut contactus fluidorum contentorum cum solidis continentibus adhuc augeatur? — Venit ceterum haecce vis sub nomine vis insitae s. vis muscularis apud nonnullos.

18.

Quamquam non eo procedam, quo plures et recentiorum et praecipue coaevorum, ut et tendinibus et aponeurosibus, et membranis, ceterisque ex sola tela cellulari constructis partibus irritabilitatem adscribere velim[7]), posse tamen eiusmodi partes, quae propriam suam statu sano habent vim, acquirere in aegritudine irritabilitatem, mox dilucidius expedietur. — Inter partes autem ipsas, de quibus omnes concedunt, esse vi irritabili praeditas, aliae observantur alias gradu eiusdem antecellere, omnes autem cor, quippe quod summe diuturna et ceteris vivaciori gaudet irritabilitate [8]); sequi proxime intestina tenuia, post ventriculum, deinde diaphragma, tunc musculos intercostales, denique ceteros, ut et iridem. — Dantur etiam specifica aliqualis diversarum corporis humani partium irritabilitas, et stimuli specifici, qui solam hanc illamve corporis partem afficiunt peculiariter: sic cantharides systema uropoieticum et spermaticum, sic bilis intestina, sic insipidus Betae vulgaris succus sternutationem movet, ventriculo nil nocet, sic lux nervos opticos, mercurius glandulas salivales aggreditur. — Diversa insuper est irritabilitas variorum animalium, ut idem stimulus in eodem organo huius animalis eadem non producat, quae in alio: ad eiusmodi varietatem pertinet, sciuri cor quingenties, testudinis autem tantum decies in minuto primo palpitare [9]).

19.

Hisce adhuc alia pauca irritabilitatem illustrantia addamus. — a. Vis irritabilitatis, licet maxime necessaria, quippe cum absque illa et solis praesentibus viribus mechanicis in corpore humano, mox perditum iret, tantis tamen obnubilata est tenebris, ut nisi

---

7) Fecit inter alios maxime Reimarus Edinb. Medic. Essays. Vol. IV. art. 20. Whytt on Sensibility p. 229. Kaaw Boerhaave de Perspiratione Hippocrati dicta c. XXVII. p. 562. Winslow lib. IV. Exp. pect. Ruysch Adversar. anat. Dec. II. n. 4. 8) Haudquaquam tamen mihi persuadere possum, quum ex structura musculosa singularis cordis nullo modo eluceat, cor esse revera irritabilitate vivaciori et maiori praeditum, quam ceteri quicunque musculi. Irritatur diutius, et ob consuetudinem, nequaquam ob minorem nervorum copiam haud tam aegre percipit stimulum adsiduum: remanens sanguis post mortem excitat contractionem. 9) Fel. Fontana Ricerche fisiologiche sopra la natura umana. 4. Florenz. 1783. p. 47.

diem diem docturum speremus, progressus ampliores haud multi sint exspectandi. — b. Est enim haudquaquam vis quaedam musculis assiduo insita, perpetua, sed revertens aliqualis pro diverso statu et tempore in musculos. Quo recuperent autem vim suam musculi, semper temporis aliquod requiritur spatium, atque fibrae muscularis capacitas, citius vel tardius affici, a stimulo pendere videtur, a diversa principiorum sive elementorum distantia, figura, a diversis fluidorum motibus atque directionibus, a contactu denique vario particularum minimarum, qui in conformatione, *συστοιχειώσει καὶ ἁφῇ* muscularium fibrarum fundatur. — c. Ad quamcunque novam contractionem fibrae muscularis novus requiritur stimulus excitans eiusdem irritabilitatem. Graviori erroris vi urgentur, qui ad elasticitatem referunt mirifica irritabilitatis phaenomena. Cum enim elasticitas necessaria sit sequela virium materiei repulsivarum, erit eadem vis quaedam primaria materiei atque reaget in corpus quodcunque vim alii inferens aequali vi resistentiae [10]). Est etiam opposita irritabilitatis vis elasticitati: illa contrahitur musculus, hac relaxatur iterum. Stimulo cessante, elasticitas praedominatur, neque amplius contrahi musculus potest, nisi novus accedat stimulus. Efficacia praeterea voluntatis in musculos, necessarium esse ad singulam contractionem stimulum novum, testatur: sequentes enim contractiones forent sequelae prioris stimuli, neque ullam haberet voluntas efficaciam in musculorum actionem. Posse autem musculum diutius contractionem suam servare absque stimulo accedente, sic explicatur, ut temporis indefinite parvas assumamus particulas $= d\tau$, ubi fibrae musculares durante contractione generali $= \tau$ mox relaxantur, mox contrahuntur: cum autem $d\tau : \tau = \frac{1}{\infty} : 1$, per se patet, non posse sensibus animadverti talia momenta indefinite parva. In quibusdam vero casibus haud esse fractioni infinitesimae aequalia eiusmodi momenta ex tremore satis sensibili post musculorum actionem violentam et diuturnam contractionem liquet.

---

10) Fac sanguinem in cor irruere vi motus aequali Σ, expellet itaque reagens et perfecte elasticum cor eadem vi Σ sanguinem. Cum redierit sanguis per universum corpus circumductus, per frictiones et alias resistentias multum amittet, hinc redibit vi $= \Sigma - \Phi$: cor itaque ut nil, nisi perfecte elasticum, reagens expellet sanguinem vi $\Sigma - \Phi$. Hac vi expulsus sanguis per systema vasorum circumactus denuo virium insignem amittit copiam, et redibit in cor agens vi $= \Sigma - \Phi - \lambda$: expelletur itaque eadem: redibit iterum amplius diminuta sua vi $= \Sigma - \Phi - \lambda - \mu$ et debiliori adhuc vi rursus expelletur. Quodsi Φ, λ, μ etc. ponuntur $=$ constanti alicui numero v. g. $= 2$, (neque enim sunt fluxiones aut fractiones indefinite parvae, ut cuicunque patet) mox adeo parvo redibit impetu sanguis, ut circulatio sit substitura. Refugiendum itaque omnino ad vim aliquam altioris gradus, quae cum viribus materiei haud sit computanda, quamlibet legibus communibus dynamices, quippe quae transcendentales sunt, sit subiecta.

20.

d. Sicut intimam irritabilitatis naturam haudquaquam cognoscimus, nihil quoque decisivum de eo, quod §. ant. n. 6. elocuti sumus, proferre nostrum erit. Solemus enim, si de vi loquimur, nihil hic inquirere, nihil definire, nisi quod adsit et effectus producat. Nihilominus tamen veritati videtur consentaneum, quod per diuturnam musculi contractionem et extensionem irritabilitas eam ob rationem perditum eat, quoniam elementa primaria, *αἱ ἀρχαὶ*, loco moveantur, totaque *συστοιχείωσις ὀργανικὴ* mutetur *παρὰ φύσιν*. Nonne hoc tamen contrarium doctrinae de primitivis nostri corporis viribus, quam egregie ac prope divina eloquentia proposuit Rev. Herderus in suis Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit. Th. I.? — Animi pathemata violenta operantur saepius mortem ipsam subitaneam, quum ob sanguinis coacervationem in cor, eiusque sequentem maximam dilatationem subito evanescat irritabilitas. Tali modo oriuntur physconiae omnes, et tympanites. Uterum autem in graviditate haud amittere irritabilitatem, ex eo declaratur, quod sit laxioris structurae, tela cellulosa facile cedat atque extensio magis gradatim fiat. — Amittit etiam musculus diu contractus irritabilitatem suam, quod ex lassitudine subitanea post labores nimios dilucide patet.

21.

Residet in tela cellulari alia vis insita, quam dicunt barbara voce contractilitatem: quae est facultas seu nisus simplex ad se contrahendum. Aeque late ergo, ac ipsa tela cellularis dominatur, id est per totum corpus animale. Hinc contrahuntur fibrae omnes, irritabilitate etiam destitutae a stimulo olei vitriolici, hinc in statu praeternaturali, quae alias erant tantum contractiles, fiunt irritabiles, cum accedat aliquid, quod ad altiores eiusmodi vim extollat gradus. In statu sano autem variis phaenomenis sese prodit contractilitas telae cellulosae: praesertim frictione cutis promovente diaphoresin praegresso leni madore, pudore rubefiunt genae, collum et pectus feminarum e. q. s. r. quae a spasmo cutaneo male derivantur. Sic morbi et passiones ab adiapneustia oriundae spasmum cutaneum non praesupponunt: possunt melius dilucidari ex affectione quadam telae cellularis, quae communicatur nervis et vasis sanguiferis. — Huc pertinet quoque vis in vulneribus vivorum animalium conspicua, quae labia vulneris diducit, ut quae fissura fuit, nunc amplior sit hiatus [11]). — Adeo vehemens quandoque est in cellulosa tela contractilitas, ut ab ea sola vi morbose aucta conspicuam in abdomine et femore rigiditatem viderit Hallerus, demumque contractum ac flexum femur absque ullo musculorum vitio [12]). Attamen cum pertineant

---

11) Sauvages theoria humor. p. 9. 12) Haller opusc. pathol. obs. 82.

haec magis ad pathologicum statum contractilitatis, alia adhuc proferamus, quae ingentem eius esse in sui ipsius statu sano efficaciam testantur. Aër, a castratione [13]), post vulnera laryngis [14]), ex dissecta aspera arteria, aut ex fracta costa [15]), a vulnere pectoris [16]), frontis [17]) aut ab inflatione impia telae cellulosae introductus diffunditur per totum corpus, ne palpebris quidem, corde, venis, extremitatibus, oculis, imo aqueo humore exceptis. — Dantur praeterea venena, quae per arma venenata aut sagittas succo quodam imbutas necant, atque totius animalis carnes molles et teneriores reddunt [18]). Huc etiam flatiles sagittas Macassarum et aliorum Indorum referas, quae saltim ex Hippomanis Mancinellae L. lactescentis succo adeo vehemens venenum concipiunt, ut de tubo efflatae minutissimo etiam vulnusculo necent intra pauca minuta [19]): quae omnia non videntur veneno in sanguinem adeo cito absorpto et per totum corpus distributo, nec nervosum systema adeo exedenti tribui posse, ut potius tela cellularis, eiusque vis subito laedatur, idque videatur actioni nervorum et cordis nocere. — Huc referri possunt, quae de subita evacuatione stagnantium humorum per remotissimas partes loquuntur auctores. Sic hydroblephara, incisis cruribus evanescunt [20]): hydrothorax ex scarificatione pedum sublatus [21]): sponte etiam ex hydrothorace fit hydrocele et pedum phlegmatia, ut quidam, qui toto corpore tumebat, posset convocare humores omnes versus oculi angulum [22]). — Has etiam vias arcanas puris abscessuumque esse, statuit Hallerus, quarum innumera exempla taceam. Sic varia peregrina per telam cellulosam ad remotissimas corporis partes protrusa. Quam nuper in nervorum vaginis quaesivit Clar. Iust. Arnemann [23]) vim irritabilem, nil nisi contractilitatem esse persuasum habeo: posse tamen statu pathologico in eandem transire, et sic inflammationem producere, haud inficiandum.

22.

Eadem haec est vis, quam dixit immortalis Stahlius tonum, in cuius proportione ad ceteras corporis humani vires et sanitatem et aegritudinum plurima quaesivit genera. Quaecunque in tonum

---

13) Alex. Monro Edinb. Medic. Essays. Vol. V. 14) Col. de Villars Cours de Chirurg. T. II. p. 170. 15) Cheselden Anatom. of human body, Ed. VI. p. 130. Littre in: Mém. de l'Acad. des Scienc. 1713. p. 12. 16) I. A. Berger de tympanit. p. 23. le Dran obs. 29. 17) Gooch Wounds. p. 292. 18) Lobel adversar. p. 263. Matthiolus ad Dioscorid. p. 1226. in epist. p. 219. 19) Voyage van Rechteren p. 164. Condamine Relat. d'un voyage dans l'Amér. mérid. p. 68. 208. 20) Geoffroy of revulsion and derivation p. 43. 21) Raissant in: Journal des Sçavans. 1685. n. 28. 22) Robert Traité de méd. l. p. 25. 23) Versuche über die Regeneration in lebenden Thieren. 8. Göttingen 1787.

proprie agant, quaeque ex disharmonia eiusdem cum aliis viribus promaneant aegritudines, infra videbimus.

23.

Missa contractilitate, transeamus iam ad sensilitatem, quae est facultas quarumdam partium corporis animalis, obiectorum externorum impressionem traducere ad sensorium commune [24]). Proprie adscribitur eadem vis tubis quibusdam tela cellulari stipatis ex encephalo et medulla spinali ad omnes corporis animalis partes progredientibus, qui dicuntur nervi. Nihilominus tamen nemo negabit, nisi plane contradicendi pruritu laborans, esse quasdam partes sensiles, in quibus nec acutissima anatomia detegere potuit nervorum ullum vestigium, posse insuper in statu praeternaturali fieri sensilem aliquam partem, quae antea non erat. Multum prodest in arte nostra, ut, quae de his clarissimi auctores reliquerint observata et experimenta, curiose investigemus et diiudicemus: neque possum, temporis et opellae ipsius angustis circumscriptus limitibus omnia, quae huc referuntur, amplius recensere.

24.

Constat tamen ab antiquis inde temporibus, non unam esse eamdemque in omnibus corporibus animatis sensilitatem, sed diversam secundum diversam constitutionem et idiosyncrasiam subiectorum. Tali modo loquitur celeberrimus inter Iudaeos medicus, R. Mose ben Maimon in Pirke Aboth:
وكذلك يقال على الانسان والحيوان الحساس باشتراك الاسم
فقط لا ان الحس الذى فى الانسان هو الحس الذى هذا النوع
الاخر بل كل نوع ونوع مما له نفس واحدة غير النفس الاخر ويلزم
عن نفس هذه الافعال وعن نفس هذه الافعال فقد يشبه الفعل
للفعل فيظن بالفعلين وانهما شى واحد بعينه وليس كذلك ✿
i. e. Similiter de homine et bruto dicitur sensibile, nomine tantum utrique communi, non quod [sensus], qui in homine est, idem sit, ac ille, qui est in bruto, neque sensus, qui est in hac specie, idem cum eo, qui est in alia specie, verum unaquaeque species animatorum animam habeat sibi peculiarem, ab alterius anima distinctam, ita ab huius anima fluant actiones suae, et ab illius anima actiones suae, cum interim similis sit actio actioni, adeo, ut duae actiones res prorsus una existimentur, [cum] revera non sint. Obiecta eadem diverso modo sentiuntur, prout constitutio systematis nervosi est diversa.

---

24) Haud dico, esse facultatem sentiendi. Nam praeterquam quod sic per circulum definirem, sentiunt haud quaquam partes ipsae, sed sensorium commune.

25.

Quomodo sensatio fiat, proprie dilucidare neminis est, nisi qui arcana naturae omnia levato tanquam velo conspexerit: nihilominus tamen adesse in nervorum tubis materiem quandam subtilissimam, fluidam, quae agit motu vibratorio, vel oscillatorio, talique propagat ad sensorium commune impressiones obiectorum externorum, esse eamdem aliquatenus electricitati positivae, seu materiei igneae recentiorum similem; in parietibus praeterea nervorum haud fieri posse istiusmodi vibratorios motus, sed quaeri debere in fluido nerveo ipso, multis argumentis mihi dilucide patet. 25)

26.

Disceptarunt nostro praesertim aevo summi et de republica nostra optime meriti viri de proportione inter vim sensitivam et irritabilitatem, et modo dependere alteram ab altera, modo nihil commune utrique intercedere affirmaverunt. Qui pro illa sententia dimicant, solent in corde, ventriculo et intestinis quaerere sensilitatem irritabilitati aequalem, quae in corde haud adeo sit conspicua, cum pericardio sit semper obtectum; solent experimenta sua allegare, ubi, discissis nervis ad partem aliquam progredientibus, mox cessavit partium istarum irritabilitas, quae autem ab aliis ideo culpantur, quod saepius irritatis nervis nullae secutae fuerint convulsiones partium nervis subiectarum. Cor insuper assumitur tanquam summe irritabilis corporis humani particula, neque tamen nervis adeo copiosis esse stipatum. Actionem praecipue musculorum, velut sequelam seu effectum irritabilitatis eorum, non pendere ab influxu nervorum inde liquet, quod durante relaxatione, stimulus levissimus, imo vix percipiendus in nervorum ramulos maxime ac latissime dispersos concussionem produceret violentissimam et contractionem, si ulla fuerit nervorum in musculos actio, manet tamen a stimulo isto musculus quietus. Musculi praeterea obtecti cuticula aut tela cellulari, quam tamen omnino percurrunt nervorum varii rami, haud contrahuntur a pressione aut impulsu in nervos, neque possumus ullo modo relaxationem cogitare, si ad nervorum efficaciam in musculorum actionem refugiamus. Quodsi autem praecipue ad cor respicere velimus, cor adhuc sese contrahere, ligatis utut nervis ex plexu cardiaco prodeuntibus certum est. Cum insuper arcte cohaereant nervorum ramuli ad unum cordis ventriculum progredientes cum nervis ad alterum distributis, cuicunque patebit, alternum motum cordis aegre posse tali modo dilucidari. —

---

25) **Accedunt ad meam sententiam plures egregiorum philosophorum et inter alios Isaac Newtonus, de quo absque honorifica praefatione loqui erubescerem, in Quaest. ad calcem optices. Qu. 23. p. 355. ed. Lond. 1719. 8.**

Quum vero haud inficiandum, pendere nihilominus aliquatenus musculorum actionem ab influxu nervorum, quod multis iisque egregiis argumentis demonstrare conati sunt viri laude nostra superiores Fel. Fontana et Rob. Whytt, nihil superest, nisi ad opinionem illius confugiamus, qui nervorum efficaciam in musculos putat caussam non efficientem sed tantum excitantem motus muscularis. Differt enim in eo utraque, ut in illa adesse semper debeat proportio quaedam inter effectum et caussam, in hac autem deficere haec etiam possit, requiratur tantum accidentalis quaedam externa determinatio, quae effectum variare possit. Haec mihi vera videtur ratio inter sensibilitatem et irritabilitatem, ut quamlibet altera quadantenus pendeat ab altera, sitque nervorum actio caussa excitans motus muscularis, haud tamen aliter veniat utraque consideranda, ac duae separatae vires, quae, licet habeant aliquid commune, haud debeant tamen confundi. Placet itaque nobis etiam, velut seiunctam vim utramque tractare, quoniam praesertim aegritudines variae modo huius, iam illius, nunc utriusque vitia praesupponant, ut ex sequentibus paginis patebit. Haec, quae specimine hoc amplius dilucidare mihi proposueram, ad opus ipsum, quod mox in lucem prodibit, transfero.

27.

Quae cum ita se habeant, patet iam via ad aliam vim, eamque summi momenti in corpore animali, videlicet vim vitae, seu vim partibus propriam. Actiones corporis animalis naturales et vitales cum necesse sit pendeant a vi quadam primigenia, eamdem nomine vis vitae proprie solemus insignire; possumus enim ad nullam aliam vim earum, quas iam recensuimus, appellare, ut inde actiones secretorias, circulatorias, et vitae ipsius derivemus, nisi propriam vim assumamus. Risu enim magis dignus videtur conatus eorum, qui in explicandis secretionis, excretionis aliisque actionibus naturalibus corporis animalis ad meram attractionem partium quarumdam vel homogenearum vel heterogenearum respexerunt, quod quidem in machina accidere, nunquam autem in corpore animali tanquam organo animae potest. Cum Boerhaavio [26]) enim fere omnes, in secretione explicanda ad variam arteriae longitudinem a corde, varium eius situm, complexum, velocitatem, proportionem rami ad truncum, vim exprimentem, moram in cavo: sic in digestione ad mechanicam commolitionem, fermentationisque aliquam speciem; in respiratione quidem summo iure ad conatum naturae nocivum quid e corpore eliminandi, principiumque vitale attrahendi consilia transtulerunt. Mechanicam tamen adesse necessitatem secundum Borellum [27]), ut varia liquida variis in locis secernantur et se-

26) Instit. Medic. §. 203. 204. 27) De motu animal. P. II. prop. 160.

creta mire immutentur. Quae utut sunt, si id mechanice fieri haec nominare velis, quod secundum certas quasdam atque constitutas fiant leges, sicut Archibald. Pitcarnius [28]), quem summa cum voluptate legere memini, fecit, ambas lubenter do manus. Secundum omnium autem philosophorum sensum mechanicae sunt istae mutationes, quae in machina fiunt, i. e. in corpore, cuius mutationes ex structura ipsa explicandae erunt: cum vero ex sola structura mutationes corporis animalis haud possint dilucidari, per se patet, mechanicam posse nullo modo esse istiusmodi actionem. Hinc more veterum et antesignanorum praecipue in nostra arte respicimus ad vim vitae, quam rite distinguimus ab irritabilitate, sensibilitate, contractilitate et a viribus mere mechanicis, puta cohaesionis et elasticitatis; quae, quanquam omnes maxime sint conspicuae in corpore animali, haud omnem absolvunt numerum.

28.

Δύναμις πάντα αὔξει καὶ τρέφει καὶ βλαστάνει [29]): summi itaque momenti putanda vis et facultatis notio. Recte igitur Rolfinckius [30]) vires, inquit, omni bono medico cum primis sunt attendendae; cui effato illud respondet, quod Theoph. Bonetus [31]) protulit: vires medicum altero oculo semper intueri debere. — Aristoteles iam Stagirita ad hasce primigenias corporis animalis vires consilium transtulit in generationis, sensationis et vegetationis negotio. Potentiam (*δυνάμιν*) dicit principium transmutationis in altero, aut prout alterum est: ex. gr. potentiam aedificandi in medium profert, quam ait haud inesse aedificato; verum artem medendi, cum sit potentia, inesse tamen in eo, qui sanatur, sed non prout vel quatenus sanetur [32]). Potentiam a vi distinguit (quod nuper Lambertus quoque fecit): sic sentire nos bifariam, potentia et actu; reliqua indidem petantur. Caeteris vocabuli potentiae significationibus, quae solebant plurimum metaphysicis veteribus in usu esse, supersedeo, quoniam medici iis perraro utuntur.

29.

Galenus in tractatu, quem scripsit *περὶ οὐσίας τῶν φυσικῶν δυνάμεων*, differentiam inter vegetabilia et animalia in eo ponit, quod adsint in his *ἡ αἴσθησις, καὶ ἡ καθ' ὁρμὴν κίνησις καὶ αἱ δυνάμεις*, quas omnes putat *οὐ ψυχικὰς ἀλλὰ φυσικὰς δυνάμεις*. Sunt vero tres istae facultates, ut mihi quidem videtur, congruae cum tribus istis, quas antea protulimus, irritabilitate

---

28) Element. medic. phys. mathem. prop. 46. 48. 61. 78. 114.
29) lib. antiqu. de alimento. [?] 30) lib. I. cons. 21.- p. 303.
31) Thes. med. pract. T. I. lib. I. tit. 1. c. 1. p. 28. p. 142.
32) Metaphys. Lib. IV. c. 12. de anim. Lib. II. c. 4.

(*ἡ καθ' ὁρμὴν κίνησις*) sensilitate (*αἴσθησις*) et vi vitae (*δυνάμεις*) [33]).

30.

Quae insuper de calido innato (*ἐμφύτῳ θερμῷ*) ex collectis praestantissimorum inter nostros medicorum, Casp. Hoffmanni, Eckard. Leichneri, Io. Alb. Sebizii, prae omnibus autem Ernest. Gothofr. Baldingeri didici, ad consensum doctrinae veteris cum nostra virium corporis humani notione fere omnia possunt referri. — a. Calidum innatum statuerunt maiores nostri praecipuam caussam formationis fetus, eius incrementi, nutritionis, vitae conservationis, et eius destructionem mortis ipsius caussam [34]). Plures autem coaevorum nostrorum in theoria generationis, et nutritionis refugiunt omnino ad nisum formativum, modificationem quamdam, ut mihi quidem videtur, vis vitalis, quae omnibus praesidet functionibus, clavumque quasi gerit totius nostri corporis. De his Herderi immortale opus, Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit, et Blumenbachii varia, uti: Vom Bildungstriebe et Specimina physiologica. — b. Cor dixerunt calidissimum corporis viscus [35]); calidius idem, quo propius animal origini [36]): quod optime convenit cum prolata opinione (§. 18.) de cordis ceteras partes corporis humani longe antecellente irritabilitate. Possumus aequo enim iure vis vitae maximam partem in ipso corde assumere, cum primum sit, quod moveatur in fetu, ultimum fere, receptis quibusdam rarioribus casibus, quod moriatur [37]). c. Consentiunt in eo omnes medici veteres, quod calidum innatum sit animae vegetativae instrumentum; quid autem *γενεθικῶς* sit, in eo dissentiunt adeo, ut Io. Bapt. Montanus [38]) dicere sit conatus: „Ego, ut ingenue fatear, profitebar

---

33) De vi vitae et natura pauca adhuc ex Galeno huc facientia allegare placet. *Ἡ δύναμις ἀσθενὴς γίγνεται τότε, καὶ διὰ καχεξίαν τοῦ κάμνοντος καὶ διὰ γῆρας.* Meth. med. l. X. *Ἀποθνήσκει ὁ ἄνθρωπος, ὅταν ἡ δύναμις ὑπὸ τοῦ νοσήματος ἡττηθῇ.* De cris. l. III. *καταλειπόμενον τῆς δυνάμεως μικρὸν καὶ ἀμυδρὸν μὴ ὅσον αὐταρκές εἰς τὴν ὠφέλειαν τοῦ πεπονθότος.* Therap. ad Glauc. II.
34) Aristoteles de Generat. anim. Lib. II. c. VI. p. 1260. ed. Pac. 8. 1597. Lib. II. c. 3. Plinius Hist. natur. Lib. X. c. 53. Cicero de Nat. Deor. Lib II. c. 9. 54. Hippocrati adscriptus perperam liber de Princip. VII, 116 T. I. ed. Lind. Galen. Lib. II. de temperam. c. 8. 35) Aristoteles de part. animal. Lib. III. c. 4. lib. de corde. Aretaeus Lib. II. curat. acut. c. 7. *ἡ καρδία τὴν θερμότητα διδῶσι τῇσιν ἀρτηρίῃσι.* 36) Hippocrates de natur. human. Aphor. I. 14. Vid. meam Apolog. nov. Hippocr. et eius Aphorism. quae mox prodibit. 37) Exstant autem apud antiquos medicos et philosophos plura loca de calido innato, tanquam caussa generationis et nutritionis principe, velut apud Galenum in libr. de tremore, Comm. in Aphor. IV, 37. I. 15. II. de facult. 38) Comment. ad Aphor. I, 14.

„me doctorem esse, et, quid esset calor innatus, vix tandem „senex cognovi." Intelligit autem cum Sennerto [39]) et Fernelio [40]) fere tota scriptorum de calido innato caterva haud qualitatem nudam, sed semper qualitatem cum subiecto, ut mox assumerent humidum primigenium, mox spiritum insitum, tanquam *ἑστίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ*. Ex Aristotele [41]) patet, haud elementaris esse naturae calidum innatum, sed tantum igneae, (quippe cum ignis nunquam ad *στοιχεῖα* sed ad *ἀρχὰς* duntaxat sit apud maiores nostros relatus [42]); sic enim loquitur: *ἡ ἐν τοῖς ζώοις θερμότης οὔτε πῦρ, οὔτε ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχὴν, ἀλλ' ἀναλογὴ τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ*: consentiunt cum eodem Io. Caes. Scaliger [43]), Franc. Valleriola [44]), et Schegkius [45]). Ad seminis praeterea naturam pertinere calidum innatum, neque ex elementis constare, sed elementis quandoque esse associatum (nam ignis elementum omnia corrumpere, neque blande fovere corpora, velut *τὸ ἔμφυτον θερμὸν*); nutrire nos plantas per humidum radicale et spiritum insitum, tanquam per *ἑστίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ*, edixerunt fere omnes de eodem obiecto scriptores. — d. Humidum istud primigenium, de quo tam saepius locuti fuerunt maiores nostri, nihil aliud esse ac gluten animale, *ἑστίαν* irritabilitatis haud secus ac calidi innati, prorsus persuasum habeo. Sic enim fatur Laz. Riverius [46]): „Humidum primigenium est substantia humida, pinguis, „per omne corpus effusa, qua calor nativus tanquam proprio „pabulo conservatur;" et paullo post: „Calor nativus est qualitas omnibus animantibus propria et familiaris, cuius beneficio vivunt et actiones suas exercent" [47]). Veteres iatrophilosophi, quos inter primos ducunt ordines et Plato, et Thales, et Aristoteles, et Heraclitus et Democritus, ex igne et aqua oriri omnia statuerunt, igni tribuerunt vim [omnia] per omnia movendi, aquae vero potestatem omnia per omnia nutriendi. Haud

---

39) Instit. Med. Lib. I c. 3. 40) Lib. IV. Physiol. c. 6. 41) De generat. animal. lib. II. c. 3. 42) Galen. *περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτη στοιχείων*. 43) Exercit. Cl. sect. 18. Exerc. CCLXXX. sect. 1. 44) Loc. commun. Lib. I. c. 15. 45) De caloris vi et offic. c. 4. 46) Instit. Med. 8. Hag. 1657. p. 54. 47) Monendum tamen, nostrum Riverium hic non prorsum vestigia Graecorum sequi, quippe qui accurate distinxerunt inter *θερμὸν σύμφυτον καὶ ἔμφυτον*. — Missas autem hic faciam vanas istas atque fictitias Sinensium de humido radicali et calido innato theorias, cuius ulterioris originem in nasu, finem in digitis pedum extremis quaesiverunt. Arterias alias ad humidum radicale, alias ad calidum innatum referre, tresque gradus utriusque assumere eosdem, cumque *ἑστίαν* calidi innati inveniant in sanguine, phlebotomia spreta ad excretionem flatuum sanguinis, tanquam caussam catholicam omnium aegritudinum ubique refugere, quam optime eliminari per moxam, fatetur Cleyerus in Specim. medic. Sinic. 4 Francf. 1682 part. II. p. 3. 4. 8. Boymius in clave medic. de pulsib. ad ment. Sinens. c. 7. Kaempferus exot. Fasc. III. obs. 11. et 12.

possum, quin hic ea, quae philosophi nostri aevi quidem celeberrimi, verum tamen haud satis circumspecti, de sententia protophilosophorum Graecorum circa creationem mundi senatoria plane gravitate edixerunt, recenseam. Varii enim, ut Cl. Tiedemannus [48]), Batteux [49]) et Meiners [50]), arbitrantur, Graecos, et praecipue Thaletem ortum universi totius et dei ipsius ex aqua statuisse, quae omnia formaverit elementa et corpora per physicas suas vires, neque contribuisse divinam potestatem ullo modo, ut ex aqua universum oriretur: sua ipsius autem cogitante atque divina potestate evolutum esse ens divinum, quod bonitate sua atque prudentia omnia contineat, moderetur, foveat, omnesque rerum atque temporum varietates vicissitudinesque efficiat. Contradicere sibi hic cel. viri videntur, cum ad mundi creationem nullam assumsisse maiores nostros divinam potentiam, ad sui ipsius autem evolutionem requisivisse omnino potestatem illam statuunt. Accedit gravissimum omnino argumentum totam illam opinionem nostrorum coaevorum de doctrina veterum et praecipue Thaletis funditus subvertens, nimirum Aristotelis [51]) de Thalete edictum: *Θάλης ᾠήθη, πάντα πλήρη θεῶν εἶναι.* Quodsi autem omnia plena deorum assumserit Thales, ad animam mundi, cuncta gubernantem, et in cunctis reperiundam omnino ubique appellavit, neque unquam in necessariis physicis viribus aut *τύχῃ* quadam aut *εἱμαρμένῃ* fidem posuit atque fiduciam. Ne argumentum contra me putetis esse, quod Homerus [52]), quem varii arbitrantur philosophia initiatum, habeat talem versum, ubi Iuno cum Venere colloquitur:

> *Εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης,*
> *Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.*

Ad esotericam enim philosophiam pertinuit doctrina de deorum omnium subordinatione et dominio animae mundi, sive opificis et architecti totius universi, quemadmodum ait Plato [53]): *Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, τούτων δὲ Φόρκις Κρόνος τε καὶ Ῥέα καὶ ὅσοι μετὰ τούτων· ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας Ζεὺς, Ἥρα τε καὶ πάντες ὅσους ἴσμεν ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν, ἔτι τε τούτων ἄλλους ἐκγόνους. Ἐπεὶ δ' οὖν πάντες ὅσοι τε περιπολοῦσι φανερῶς καὶ ὅσοι φαίνονται καθ' ὅσον ἂν ἐθέλωσι θεοὶ γένεσιν ἔσχον, λέγει πρὸς αὐτοὺς, ὁ τόδε τὸ πᾶν γεννήσας τάδε· Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς*

---

48) Griechenlands erste Philosophen. S. 139. 141. 49) Hist. de l'acad des inscript. T. XXIX. Sur le principe actif de l'univers. p. 237. 50) de vero deo. p. 259. 308. 51) De anim. II, 5. p. 386. 52) Il. XIV, 201. 53) Timaeus p. 530. m. ed. Huc faciunt varia loca in Theaetet. et Cratyl. ubi deos hos inferiores ubique distinguere iam antiquitus solere philosophos dicit a supremo deo, et divina potentia. Videtur autem Plato uti in supra allegato loco traditione antiqua, fortasse ex cosmogonia quadam veteri, cui assentitur.

πατήρ τε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα, ἐμοῦ γ' ἐθέλοντος κ. τ. λ. Hinc luculenter patet, veteres philosophos Graecos aquam seu humidum suum primigenium haud tanquam vere primariam et unicam caussam efficientem huius universi considerasse, sed tantummodo, maxime autem Thaletem, tanquam instrumentum assumsisse, quo usus fuerit supremus deus, ad exstruendum mundum.

31.

Quemadmodum philosophia, generis humani parens, cuicunque scientiae faces praefert, neque absque illius ductu gradari tuto certoque possumus in ulla cognitione, ita quoque historia huius scientiae divinae atque doctrinarum philosophicarum necessario requiritur ad dilucidandas theorias fere quascunque in aliis scientiis. Quam amplum praestare possit eadem ad historiam medicinae pragmaticam rite diiudicandam usum, mox publice in meo tentamine historiae medicinae pragmaticae pluribus ostendam. Iam vero ortum doctrinae de calido innato, tanquam origine κινήσεων τῶν καθ' ὁρμὴν in nostro corpore, atque δημιουργῷ πασῶν τῶν ἐν σώματι ἡμῶν γενομένων ἀλλοιωσέων ex philosophia graeca paucis explicare conabor. Cum ignis vel potius materies calorifica sit subtilissimae indolis, effugiatque pura nostros sensus, ad eamdem provocasse maiores nostros, si, quaenam sit motuum in nostro corpore caussa, vellent exponere, haud mirum erit. Sic enim loquitur Aristoteles [54]: [ἑπομένως δὲ τούτοις] καὶ τὴν ψυχὴν ἀποδιδόασιν· τό τε γὰρ κινητικὸν τὴν φύσιν τῶν πρώτων ὑπειλήφασιν, οὐκ ἀλόγως. Ὅθεν ἔδοξέ τισι πῦρ εἶναι, καὶ γὰρ τοῦτο λεπτομερέστατόν τε καὶ μάλιστα τῶν στοιχείων ἀσώματον, ἔτι δε κινεῖταί τε καὶ κινεῖ τὰ ἄλλα πρώτως: et Plutarchus in biographiis [55]: πῦρ ἀρχὴ ἁπάντων· κινητικώτατον γὰρ ἐν τῇ φύσει τοῦτο κίνησις δέ τις, ἢ σὺν κινήσει πάντως ἡ γένεσις. τὰ δ' ἄλλα τῆς ὕλης μορία, θερμότητος ἐπιλειπούσης, ἀργά κείμενα, καὶ νεκροῖς ἐοικότα, ποθεῖ τὴν πυρὸς δύναμιν, ὡς ψυχήν. Pythagoram Samium calorem caussam assumsisse omnium vitalium et animantium, stellasque tantum eam ob caussam esse divinae indolis, quod participes sint igneae naturae, testatur Diogenes Laërtius [56]. Sic loquitur auctor antiqui libri de carnibus [ed. K. I. p. 425.], qui perperam Hippocrati nostro tribuitur: Δοκέει δέ μοι, ὁ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι καὶ νοεεῖν πάντα καὶ ὁρῇν καὶ ἀκούειν καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Quid certius, quam summum universi architectum, seu animam mundi hic intelligi, quam igneae seu calidae esse indolis, auctor libri huius contendit? Probe autem hic notandum,

---

54) De anim. I, 2. 55) Vit. Camill. p. 139. 56) Hist. philos. VIII, 27. 28.

veteres haudquaquam verum ignem intellexisse, sed θερμὸν quoddam elementare, quod ex Aristotele[57]) et Herodoto[58]) et Cicerone[59]) patet. Solebat enim Aristoteles distincte loqui de differentia caloris huius elementaris et ignis corporei, istum appellavit aethera, et νοὸς naturam esse calidam proprie, neque igneam autumabat. Calidum itaque seu materies caloris et lucis erat symbolum divinitatis, sub cuius forma semper deum cogitaverunt: sic quoque iudicarunt, δύναμιν istam καθ' ὁρμὴν κινησάσαν in corpore delitescere sub symbolo, sub forma, sub instrumento calidi innati; et sicut calor mundanus in humido seu aqua residebat, sic in microcosmo humidum primigenium, seu gluten animale est sedes vis vitalis, seu irritabilitatis, cuius utriusque haud satis distinctam habuerunt veteres ideam. Nonne, per deum immortalem, magnifica haec est, ac prorsus divina maiorum nostrorum de vi vitali sententia, nonne admirationem nostram summo iure meretur? — Excusabit, ut ego confido, ipsum dignissimum thema, me longiorem in eo fuisse, cum haec distinctius exposuisse ante me neminem, recorder[60]).

32.

Ut autem iam propius ad caput nostrae disquisitionis accedamus, inquirendum est, quid sit natura et speciatim quid natura corporis humani? — Naturam dicunt nostri philosophi (Kant's Metaphysische Anfangsgründe der Naturwissenschaft), principium internum, primarium eius, quod ad exsistentiam rei pertinet, sive complexum determinationum internarum, quae rationem realitatis omnium accidentium continent. Hinc itaque liquet, quomodo differat natura ab essentia: haec enim dicitur principium eius, quod ad possibilitatem rei refertur. Ad naturam pertinet essentia, nec ab essentia necessario pendet natura, pertinent porro ad naturam facultas quaelibet et quaecunque vires rei cuiusdam. Cum autem natura nonnisi substantiis rite possit adscribi, sequitur, corporis cuiuslibet naturam esse principium eius internum, a quo pendent et actiones et compositionis modi in corpore. Constituitur itaque natura corporum vel modo compositionis, vel facultatibus et viribus quibuscunque eorum. — Corporis animalis ideo naturam statuo esse complexum determinationum internarum, quae rationem continent realitatis mutationum et omnium actionum eiusdem, i. e. complexum omnium

---

57) De generat. anim. II, 3. 58) III, 106. 59) De natur. deor. II, 15. 60) Ad historiam doctrinae de calido innato praecipue respiciam in meo tentamine histor. medic. pragmaticae, cum summi sit in tota nostra arte momenti, et variis nominibus insignitum tamen revera ad nostrum usque aevum sit propagatum. Petr. enim Severinus, Paracelsi fidus assecla, suum sulfur vitale et balsamum vitae, Helmontius suum archaeum, varii, ut Paracelsus ipse, suum Gasteranacta etc. unum idemque cum calido innato fecerunt.

virium primariarum, quae in corpore animali resident. Optime haec definitio cum usu loquendi apud maiores nostros aeque ac apud recentiores consentit, quippe cum iam in veteri, quem mallem equidem Hippocrati nostro ascribere, libro VI. epidemiorum multa occurrant, quae huc summo iure possunt referri. Postquam enim auctor, naturam esse morborum medicam, elocutus esset, sic pergit [Vol. III. p. 606. ed. K.]: *ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει.* Notatu dignissima haec pauca verba, clare enim indicant naturam, i. e. complexum virium corporis animalis certis esse atque determinatis legibus subiectam, neque ratione praeditam vel instructam operari ea, quibus opus est [61]). In *ὑπομνήματι* Galeni ad hunc locum sequentia leguntur [ed. K. Vol. XVII. B. p. 250.]: *Ψυχῆς οὐσία φαίνεται τὸ ἔμφυτον θερμὸν εἶναι. — Ἔνιοι μὲν ἡγοῦνται οὐσίαν εἶναι ψυχῆς τε καὶ φύσεως, οἱ μὲν ἐν τῷ πνεύματι τιθέμενοι τὴν ὕπαρξιν αὐτῶν, οἱ δ' ἐν τῇ τοῦ σώματος ἰδιότητι· τινὲς δὲ οὐ μίαν ἀλλ' ἰδίαν ἑκατέρα τὴν οὐσίαν εἶναί φασι καὶ οὐ, σμικρῷ δέ τινι διαφερούσας, ἀλλ' ὅλῳ τῷ γένει. ὅπου γε καὶ τὴν μὲν τῆς φύσεως φθαρτὴν εἶναι ἡγοῦνται, τήν δὲ τῆς ψυχῆς ἄφθαρτον. — Τοῖς Στωικοῖς δ' ἔθος ἐστὶ φύσιν μὲν ὀνομάζειν, ᾗ τὰ φυτὰ διοικεῖται, ψυχὴν δὲ ᾗ τὰ ζῶα, τὴν οὐσίαν ἀμφοτέρων μὲν τίθενται τὸ σύμφυτον πνεῦμα καὶ διαφέρειν ἀλλήλων οἴονται ποιότητι· ξηρότερον μὲν γὰρ πνεῦμα τὸ τῆς ψυχῆς, ὑγρότερον δὲ τὸ τῆς φύσεως εἶναι, δεῖσθαι δ' ἄμφω πρὸς διαμονὴν οὐ τροφῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀέρος.* Et cum auctor mox addiderit: *Ἀνθρώπου ψυχὴ ἀεὶ φύεται ἄχρι θανάτου. ἢν δ' ἐκπυρωθῇ ἅμα τῇ νούσῳ καὶ ἡ ψυχή, τόδε σῶμα φέρβεται*: addit Commentator [p. 251.]: *τὸ φύεσθαι προσθέσεως λέγουσιν εἰρῆσθαι κατὰ τῆς γενομένης ἐν αὐτοῖς ἐξ ἀμφοτέρων τῶν οὐσίων τῆς τε τροφῆς καὶ τοῦ ἀέρος.* — Hinc liquet: — a. Maiores nostros, missa Stahlii etymologia voculae *ψυχὴ* quae *φύσιν ἔχει,* consensum assumsisse inter principium vitale, quod in plantis est, et illud, quod in animalibus dominatur; utriusque autem *ὕπαρξιν,* et *ἑστίαν* posuisse in humido primigenio, sive *πνεύματι* et *ἐμφύτῳ θερμῷ.* — b. Eosdem magnificam quamdam atque dignissimam habuisse de anima organica sententiam, utpote quae, *φύσις* dicta, *ἀπαίδευτος* omnia sua opera secundum certas exerceat leges atque determinatas. Haud itaque tam facile darem Macbridio, consuetudinem accedere, ut anima haud amplius sit suarum actionum sibi conscia,

---

61) Maxime placent, quae ad hunc locum vere Hippocraticum monet Commentator magnus Pergamenus [ed. K. Vol. XVII. B. p. 223.]: *διὰ τοῦτ' οὖν οὐχ ἁπλῶς ἀκούειν χρή, νούσων δὲ φύσιες ἰατροί· βαθύτερον γὰρ νόημα κατὰ τὴν λέξιν τήνδε περιέχεται, διαρθρώσιος ἀκριβεστέρας δεόμενον*: et post per totum *ὑπόμνημα* multa profert egregia et *ἀξιόλογα*, divinum istud effatum amplius illustrantia.

sed est necessaria quaedam legum series naturae praescripta, quibus utitur ad exercendas actiones determinatas. Magnifica ac plane divina eloquentia, ut in ipsis labris sessitasse videatur persuadendi dea, loquitur de legibus naturae necessariis promtuarium omnigenae eruditionis inexhaustum, Herderus meus. (Ideen zur Philosoph. der Gesch. der Menschh. Th. II.) Sic loquitur Galenus de natura, tanquam δημιουργῷ καὶ τεχνίτει: neque tamen his verbis, tanquam prorae aut puppi fidendum; solet enim noster nimis varius et mutabilis semper esse, et modo ab hac stare, iam ab illa parte. Sic naturam mox complexum appellat humorum quatuor primariorum, mox complexum virium corporis humani. — c. Ab Herophilo inde receptam et divulgatam de quatuor facultatibus, nimirum attractrice, continente, mutante et excernente cuiuslibet visceris sententiam, cui et Galenus et post eum quamplurimi qualitatum occultarum amatores favent, vanam esse, neque cum nostrorum temporum ratione atque scientiarum consentire. Respicimus enim magis magisque ad vires, quae in corpore animali actionibus praesident, neque, quomodo easdem exerceant, nostrum unquam erit, dilucide exponere.

33.

Breviloquentia usus sum in recitandis, quaecunque exstant in maiorum nostrorum de natura humana monimentis, cum satis perspicerem, amplam et diffusam orationem ad volumen magis diffusum extendi posse, quam patitur huicce syntagmati praescriptorum limitum ratio. Addam adhuc pauca circa vitam, sanitatem et temperamenta, ut praemissis his eo facilior pateat transitus ad pathologicam partem nostri συγγράμματος.

34.

Quum viva sint ea corpora, quibus insunt vires primariae et activae, solemus cum philosophis naturae durationem nuncupare vitam, quippe cum natura complectatur quascunque vires.

N. 1. Hoc et mechanici severiores negare haud ausi sunt, utpote cum de Moor [62]), qui tamen notionem corporis humani, quod sit machina mere hydraulico-pneumatica, fundamenti loco posuit, vitam tamen collocet in eo, quod adsit principium actuosum omnium virium eiusdem, id quod pendeat a pressione et motu sanguinis. — 2. Thom. Campanella Stylensis, vir maxime singularis, qui, ut ego quidem arbitror, Stahlianus fere ante Stahlium fuit, animam putat esse calidum innatum [63]), a perenni motu spiritus vitalis, arctissime cum hoc calido innato coniuncti, pendere vitam, ceteras autem partes non movere, sed moveri [64]). Alio loco vitam indicat esse solidarum, humidarum et spiritualium partium consen-

62) Instit. Med. c. III. §. 30. Pathol. cerebr. c. 13. de morb. caduc. p. 402. 63) De sensu rer. I. II. 64) Lib. IV. medicinal. c. III. p. I. art. I.

sionem, mutuis officiis et usibus in animali per calorem innatum contentam. Nonne haec viri contemtui saepius subiecti proposita optime consentiunt cum thesibus veterum atque optimorum medicorum? — 3. Thom. Willisius ipse, quamlibet varia protulerit satis absurda, haud tamen negavit vitam esse flammae prorsus similem, ab ipso conceptu in humore genitali depositae: quam deinceps a calore materno exsuscitatam, incipere paullulum gliscere, micare et ad sanguinem, quamdiu animal aetatem degerit, commorari; esse eamdem fortasse adeo subtilem, ut sanguini forma vaporis vel fumi praesit [65]). — 4. Frieder. Hoffmannus, qui ad summum fere gradum doctrinae pervenit, vitam tantum ponit in motu perenni cordis alterno et arteriarum, sine respectu ad vires quaslibet, quae eumdem producere valeant [66]). Hunc aeque modeste ac solide refutat immortalis Stahlius, in tr. de differentia mixti corporis et vivi, ad cuius finem haec ἀξιόλογα ἔπεα addit: „Ego per dei gratiam scio, quid scribam, et audacter pro„voco omnes homines, rationis suae recte compotes, ut mihi circa „hasce equidem in se utique simplices res, defectum aliquem soli„dae, directe ad rem pertinentis demonstrationis commonstrent." A partibus Hoffmanni stant Boerhaavius et Pitcarnius. — 5. Io. Bapt. van Helmont ipse vitam humanam esse lucem formalem autumavit, qua exstincta e vestigio mori hominem [67]).

35.

His itaque praemissis, per se luculenter patet, definitionem vitae, quod sit coniunctio animae rationalis cum corpore, haud nostros promereri calculos, quippe cum saepius seiuncta anima, vita adhuc sit superstes, remanentibus viribus primariis. Nequaquam enim dependent vires corporis humani prorsus ab anima, sed nexu quodam tantum cum eadem combinantur. Quodsi cessant in quacunque parte vires organicae atque primariae, sequitur, mortem eiusdem partis instare: agat, quantum lubet, anima in eamdem partem, nunquam reviviscet, nisi restituantur balsamicis, roborantibus, stimulantibus vires eiusdem necroticae partis. Mors universalis itaque est necessaria sequela exstinctae flammulae, ut loqui solebat Willisius, sive destructarum et pene desinentium virium totius corporis. Triplicem modum assumsit Franc. Vallesius Covarruviensis [68]), quo mors consequi possit, vel per suffocationem caloris nativi, vel per vehementiam morbi agentis in virtutes corporis humani, vel per resolutionem virium corporis iam debilium.

36.

Quoniam duratio naturae est vita, ad vitam non vel una requiritur, vel altera tantum vis, sed universus omnium virium corporis humani complexus, quas omnino in ratione quadam ad se invicem esse, ne se mutuo destruant, oportet. Vires enim

---

65) De sanguin. incalesc. — De febr. et fermentat. c. 1. et variis locis. 66) Medic. rat. system. T. I. praef. P. I. c. 2. c. II. §. 27. 67) Blas human. §. 92. 68) Controvers. Lib. IX. c. 7. f. 429.

plures in eodem subiecto sese evertunt invicem et exstinguunt, nisi adsit quaedam affinitas, vel aequilibrium, quo continentur. De modo, quo aequilibrium aut affinitas ista constituatur, definire aliquid nemo potest, nisi qui abstrusas naturae latebras apertis oculis conspexerit, quod, quamdiu spiritus hos reget artus mortales, non sperandum. Cum autem scopus esset corporis, ut actiones exerceat, requirebantur ad singulas actiones non unica vis, sed complexus virium, quae in eo omnes convenire debebant, ut functiones rite peragantur. Latet nos adhuc, proh dolor! ratio irritabilitatis ad vim vitalem, et huius ad illam, et sic quoque caeterarum virium ad se invicem. Quamdiu autem hoc fuerit, nihil hic luminis exspectandum: sufficiat scire, cum virium aequilibrium in corpore humano necessario requiratur ad rite peragendas functiones debitas, in eo ipso aequilibrio virium quoque consistere sanitatem. Namque sanum corpus omnes suas, aut saltim praecipuas actiones ita perficit, ut nulla inde consequatur molestia; istiusmodi lex sanitatis est omnino universalis et ad diiudicandam sanitatis latitudinem optime inservit.

N. 1. Benigne conniveant ad paragraphum hancce, quicumque omnia explicare atque luce meridiana clarius videre conantur. Non possumus, nisi a priori concludere, adesse debere in statu sano aequilibrium et proportionem iustam ac aequam inter vires corporis animalis: sine quibus quidem nullo modo rite functiones eiusdem possunt exerceri. 2. Consentiunt in eo fere omnes, ut *συμμετρίαν* quamdam conditionum naturalium assumant in definitione sanitatis statuenda. Sic sanitatem dixerunt Empirici veteres, esse constantiam actionum secundum naturam se habentium [69]; in symmetria contractionis et diffusionis consistere sanitatem, contendit inter alios **Iulianus** [70]. — Qui post **Dioclem Carystium** et **Praxagoram Coum** magis respexerunt ad humorum corporis humani qualitates, ex horum moderato statu explicare conati sunt sanitatem, hinc in libr. de **natura humana**, de **morbis quarto**, et de **genitura** varia leguntur, quae hanc complectuntur theoriam, quorum nihil prorsus ad Hippocratem referendum; Praxagoras enim primus, ut mihi videtur, fuit, qui pathologiam humoralem introduxit. — **Galenus** autem, qui omnia antecessorum suorum dogmata novit, recensuit et accurate distincta mox reiecit, mox ipse assumsit, sanitatem haud esse absolute elementorum, ex quibus constamus, aut medium temperamentum quam **eucrasian** appellant, aut debitam convenientiam, quam **symmetriam** nuncupant; sed esse talem corporis constitutionem, in qua nec doloribus torquemur, nec in obeundis vitae actionibus impedimur; qua autem ut fruamur, opus esse, ut partes similares debita calidi, frigidi, humidi et sicci temperie sint dotatae; compositae vero ex his, ut organa, aliave corporis membra debito situ, magnitudine, figura et numero constent. Hominem itaque omnes naturae actiones rite exercentem, optimo habitu, quem *ἐυεξίαν* nominat, praeditum, esse sanum [71]. Ne

---

69) **Galen. meth. med.** Lib. I. c. 7. [Vol. X. p. 51. ed. K.] 70) **Galen. advers. Iulian.** c IV. [ed. K. Vol. XVIII. A. p. 258. *συμμετρίαν μέν τινα πόρων εἶναι τὴν ὑγείαν ἐν στεγνώσει δὲ καὶ ῥύσει τῶν δι' αὐτό φερομένων συνίστασθαι τὰ κατὰ διαίτην νοσήματα.*]
71) **De differ. morb.** c. 1. de tuend. sanit. lib. I. c. 5. 6.

Robert. Fluddius quidem ab idea iusti et moderati in sanitate recedit, quamlibet magis moraliter, quam physice exponat eamdem [72]). — 3. Errare autem ii videntur, qui in exponenda sanitate magis ad functiones, quam ad vires easdem producentes consilium transferunt. Eosdem refutat Galenus [73]) cum ait: Οὐ τὸ ἐνεργεῖν ἐστὶ τὸ ὑγιαίνειν, ἀλλὰ τὸ ΔΥ'ΝΑΣΘΑΙ. Nam neque durante somno, neque quiescentes, functiones peragimus, sed potentia tamen haudquaquam destituimur. — Sanitatem porro corporis humani meus Sennertus [74]) potentiam autumat, eas, quae secundum naturam sunt, actiones exercendi, a partium omnium naturali constitutione pendentem. Cum autem dividantur corporis partes, iuxta veterum doctrinam in ὁμοιομερῆ et ἀνομοιομερῆ μορία, quorum illa πρῶτα πρὸς τὴν αἴσθησιν σώματα et qualitates sic dictas occultas ad suam requirunt constitutionem, haec autem συμπαθείᾳ et antipathia aut etiam συμμετρίᾳ afficiuntur, partes dissimilares insuper organicarum actionum sint instrumenta, hinc in definienda sanitate vel aegritudine ad partes dissimilares (μορία ἀνομοιομερῆ) tantum respiciendum; praeter harum partium constitutionem naturalem postulatur quoque unitas sive continuitas integra. — 4. Virium si bona supponatur affinitas, functiones rite ac sine molestia perficiuntur, hinc quoque eucrasia humorum, hinc excreta et voluntarii motus ii, qui debent esse. Varias itaque definitiones summo iure ad hancce unicam revocare possumus.

37.

Temperamentum puto esse relationem aut proportionem virium corporis humani primitiuarum ad partium solidarum aeque ac fluidarum constitutionem, eamque singularem et diversam, pro variis parentum temperamentis, pro varia educatione, vitae genere, laboribus aut studiis, pro varia aetate et sexu, pro vario denique climate. Amplissimus hic sese aperit campus, cuius limites haud adeo facile determinantur, ut hacce opella cuncta, quae huc referri iure possint, complecti valeam. Quum temperamenta faciant, ut quae haec afficiant subjecta, alia multo minus, et v. v., veniunt hic praecipue caussae temperamentorum diversae considerandae, quae sunt: 1) irritabilitatis varii gradus. Vivacior enim irritabilitas, cuique fere stimulo parens, diu durans et cum celeritate agens, cum robore et singulari fortitudine in musculis, quae cum agilitate incredibili brevi temporis dispendio et singulari constantia agit, facit fere sola cholericum temperamentum. Lentam e contrario vix stimulo obtemperantem, nisi validissimus fuerit, observabis contractilem musculorum naturam, si phlegmaticum corpus examinas. 2) Sensilitatis varia ratio. Cum grandiori cerebro et sensilioribus nervis cholericam observamus complexionem, sanguineam autem cum minori gradu sensilitatis, sed altiori contractilitatis. Cum parvo cerebro et hebetioribus sensibus phlegmaticam aut phlegmatico-melancholicam animadvertimus tarditatem, quae requirit acriores stimulos et in statu sano at in pathologico. 3) Contractilitatem maiorem

---

72) Medic. Cathol. T. I. tr. I. sect. I. P. I. Lib. II. c. 3. 73) De different. morb. c. 2. [Vol. XI. p. 837. ed. K.] 74) Instit. Medic. Lib. I. c. 3.

constituere videbis cum haud notabili fortitudine partium solidarum, sed aequali ac optima sanguinis mixtione temperamentum sanguineum, cum maximo autem robore solidarum partium et cruoris maiori copia melancholicum; aequo multo minorem autem cum maxima copia lymphae phlegmaticum temperamentum. 4) Vim vitae vividiorem cum aequa mixtione fluidorum in sanguineis, cum maiori autem phlogisti copia in cholericis, iusto autem magnopere minorem cum debilitate solidorum in phlegmaticis, cum robore earumdem in melancholicis reperies.

38.

Monendum tamen, omnes, quos iam diximus, virium corporis humani, diversa temperamenta constituentes, gradus minime ita comparatos esse, ut proportio et affinitas inter ipsas laedatur, quamlibet prona sint talia corpora, si altior adsit gradus temperamenti, ad varios morbos. Sub latitudine enim sanitatis complectimur omnia phaenomena corporum a temperamentis derivanda: quum functiones maxime necessariae absque molestia rite exerceantur, licet haudquaquam quae vivaciori et alacriori modo in hoc temperamento praestantur actiones, in illo eodem modo exerceantur. — Quae ad mutationem temperamentorum attinent, versantur in variis remotis, maxime autem diversis caussis, quae brevibus hic proferre placet. Sunt autem praecipue: Victus potusque varia ratio; educatio, exempla, imitatio et lactatio; clima, coelum et natale solum; incrementum cognitionis; aetas ipsa, sexus, hominum consortium et munera publica; copia denique et inopia rerum cum ad vivendum, tum ad proficiendum summe necessarium. Amplioribus haec illustrare argumentis instituti ratio dissuadet; patet autem ex jam dictis, omnino non sufficere quatuor tantum varietates temperamentorum, sed multo plura dari temperamenta, quae neque prioribus prorsus aequalia, sed tantum analoga videantur.

39.

Quae cum ita se habeant, ex prolatis liquide constat, definitionem veterum et variorum recentiorum, presso pede veterum vestigia sectantium, quam temperamento statuerunt, esse nimirum concentum, seu debitam mixtionem quatuor suppostitiorum elementorum seu qualitatum primarum [75]), haud amplius valere, cuius, sicut et nominis temperamenti inventorem perperam statuunt Hippocratem in libro de veteri medicina, quem autem falso Hippocrati tribui certo certius mihi est.

40.

Pauca adhuc eaque properante calamo de sympathia mirabili inter partes corporis humani varias adiiciam, priusquam ad pathologi-

---

75) Definit. medic. c. 10. Sennert. instit. med. Lib. I. c. 5. Galen. meth. med. Lib. VII. c. 3.

cam partem opellae transeam. Phaenomenon istud singulare, ubi affecta aliqua parte mox alia, eaque saepius remotissima afficitur, alia ratione, quam ex virium organo insitarum consensu explicandi, vanus est conatus. Possum equidem modum, quo agat haec siue illa pars in remotissimam per nervos haud satis dilucidare, attamen nervos et vires corporis humani sola esse, quae consortium hoc constituant, prorsus persuasum habeo. Hinc alios sympathiae modos plane nego, cum ex nexu nervorum pateat semper, posse hanc illamve partem, ab hoc illove membro affecto affici, sed quare potius haec quam illa patiatur pars, dilucide exponere plane neminis est, nisi qui leges sympathiae adhuc cunctas incognitas cognoverit. — Qui per nexum solum, sive is fiat per continuitatem, sive per contiguitatem, explicant phaenomena consensus, eos ad nervorum tamen commercium refugere oportet. Sic sopor post pastum, declaratur perperam ex pressione aortae a ventriculo instituta; possumus, missis aliis copiosis theoriis, melius ex derivatione vis nerveae ab encephalo ad stomachum eamdem somnolentiam planam facere; sic glandis pruritus in affectibus calculosis ex coniunctione plexus renalis cum plexu spermatico optime declaratur. — Analogia functionum et praecipue secretionum nisi reducatur ad nervorum commercium, nihil facit ad exponenda sympathiae phaenomena. Dolor palpebrae ante insultum catarrhi oritur ex coniunctione nervi phrenici cum pare octavo et tertio, quod palpebras movet. Labii superioris tumor in scrofulosis ex rami infraorbitalis nervi maxillaris superioris et hypoglossi medii maxillaris inferioris cum plexu stomachico nexu explicari potest. Qui hic ad analogiam secretionum in ventriculo et labiis observatarum consilium transferunt, tantum abest, ut nostros calculos promereantur, ut potius filo Ariadneo prorsus destitutos nos videamus in eiusmodi labyrintho. Musculi deltoidei in rhachialgia pictonum et metallica paralysis ex consensu nervorum plexus coeliaci et cervicalium brachialium solo exponendus videtur.

41.

Magis nostris temporibus magisque respicere solent medici ad organicam partium solidarum constitutionem in exponenda sympathiae theoria, quorum testes sunt maxime Hemsterhuys [76]), Schreiber [77]), Rega [78]), Coopmans in Alex. Monroi (patris) tractatu de nervis. 8. Harling. 1763., Isenflammius meus [79]), Egger in Wasserbergianis fasciculis, Tissotus in celeberrimo opere, Stuartus in tractatu de officiis systematis nervosi, Prochaska in Annotat. academ. Fasc. III. sect. I. et plures alii.

76) Lettres sur le rapport de l'homme. 77) De consensu part. 1658. 78) Tract. med. de sympathia c. h. 79) Versuch einiger praktischen Anmerkungen über die Nerven. 8. Erlangen. 1774.

SECTIO TERTIA.

AEGRITUDO. MORBUS. PASSIO.

42.

Accingo me iam ad gravissimum disceptationis meae caput, quo nihil ad utilitatem in re medica praestantius, nihil autem quoque magis requirit industriae et sedulitatis omnes nervos, ut moliar, quaecunque mihi proposui. Sicut enim omnes humani generis cognitiones in id dignitatis evehuntur, supra quod haud potest adscendi, si scientifice tractentur, ita quoque optandum, ut ars medica, philosophia summa, ad scientiae gradum possit elevari, quod tamen ad nostra usque tempora, ubi probabilitatem in arte ad evidentiam attolli adhuc difficile fuit, arduum sane ac plenum periculosae aleae est facinus. Cum soleant, quicunque sacris initiantur Asclepiadeis, primis tantum labris, ut ita loquar, philosophiam degustasse, haud multum emolumenti ab iisdem exspectandum. Accidit tamen nonnunquam, ut qui temporibus, ubi maiori studio literarum disciplina agitari coepit, mathematico egregie pulvere versati, aut qui philosophiam, scientiarum omnium facile principem, quanto possent studio avide complexi essent, animam darent medicinae excolendae: fuerunt viri, quibus omnia suppetebant, quae consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt, quorum tamen conamina speciosa felicium successuum coronide haudquaquam ornata fuerunt. Delitescebat enim vitium in ipsa temporum ratione et more medicorum ex mechanicis aut chemicis principiis et nosologiam et pathologiam totam derivare, qui autem fontes eiusmodi videntur, uti iure applicari ad artem medicam nequirent, imo maius adhuc ex iisdem flueret detrimentum.

43.

Ego autem, quamlibet instructus matheseos et philosophiae speculativae elementis, haud tamen possum inficiari, quo propius consideravi atque accurata mentis trutina examinavi instituti et conatus mei rationem, eo magis deterritum atque virium infirmitate mearum ita percussum esse, ut vix ac ne vix quidem audeam, coaevis meis principia nosologica et pathologica, quae meo arbitrio ad scientiae formam magis redigere possunt aegritudinum scientiam, communicare. Quamobrem summa animi submissione rogatos volo quoscunque iudices, ad quorum subsellia forsan adducetur haecce mea opella, ut benigne ad mendas et defectum acutioris ingenii ac iudicii conniveant, et ea, qua pollent, animi benignitate, tanquam tentamen iuvenile, accipiant et sententiam ferant.

44.

Altius iterum atque accuratius circumspecta **status morbosi** in corpore animali ratione, quominus ad sublatum virium corpori eiusmodi insitarum aequilibrium, sive affinitatem earumdem laesam consilium transferam, haud possum impedire. — A priori hoc iam luculenter patet, quoniam omnes mutationes rei pendent ab eius natura, non ab essentia, a qua pendent attributa: cum autem natura corporis animalis sit complexus eiusdem virium primitivarum (§. 32.), liquide constat, omnes in corpore animali mutationes etiam fieri et contingere per vires eiusdem. Statu vero sano et naturali adest complexus virium in ea ratione, ut functiones omnes absque molestia rite possint peragi, neque excedat una aut altera. Quodsi itaque functio una aut altera laedatur, necesse est, laedantur antea vires eisdem functionibus praesidentes. Hinc nihil manifestius, quam virium laesionem praesupponi, si status morbosus consequitur. Iam vero vires aliter laedi non possunt, praesertim eae, quae in consensu et complexu, aut potius in aequilibrio quodam sunt, nisi ratio unius vis ad alteram tollatur, i. e. nisi aequilibrium tollatur. — Aegritudinem dicimus statum morbosum, recedentes omnino a principiis quorumdam, accedentes autem ad ideam Doct. **Danielis**, viri tantis adornati virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit, ita boni et Hippocratici medici, ut natura non disciplina consultus esse videatur, quem cognovisse, cuius familiaritate coniuncta usum fuisse nec in aeternum poenitebit. Quodsi itaque aegritudinem appellamus statum morbosum, speciatim respicimus nec ad morbum ipsum, nec ad passionem, nec ad symptoma, quae omnia mox ordine tractabimus. — A posteriori item elucet, nostram aegritudinis definitionem iustam esse et adaequatam: cogita enim tibi quemcunque volueris statum morbosum, nunquam aderit, nisi virium consensus laedatur; quaecunque vel levissima cephalalgia, vel pyrexia, vel phlegmasia, vel, si ad morbos ipsos recedere cupis, sepsis, atra bilis, cachexia vel syphilitica, vel scorbutica, sive, cum ad symptomata respicis, deliria, profluvia, excretiones quaecunque alienatae absque viribus laesis ne imaginari quidem tibi poteris. Quid accidit ex. gr. in hydrocephalo interno? quem in casu hoc determinato esse ortum in infante debili a terrore subitaneo supponam. Nonne **caussa antecedens** *προηγουμένη* subitaneam hic produxit sanguinis coacervationem in encephalo, unde irritabilitas partium humores serosos in encephalo secernentium et resorbentium adeo deminuitur (**aegritudo**) ut mox functiones earumdem partium laedantur, oriatur colluvies serosa (**morbus**, qui si **topicus** est, ut infra pluribus monstrabitur, audit, ut hic, **passio**) unde symptomata hydrocephali pleraque a pressione aquae stagnantis in vasa cerebri et nervos pendent. — Hinc quoque cuicunque notum est, deformitates varias corporis animalis ad statum morbosum haudquaquam

pertinere, nisi vires inde patiantur. Sarcomata varia externa nihil morbosum complectuntur, nisi vasa maiora premant, aut nisi interna sint et per pressionem nocivos producant effectus.

45.

Est idcirco status quidam neuter inter sanitatem et morbum, qui tamen plerumque sub latitudine sanitatis comprehenditur, ubi scilicet nonnullae tantum vel paucae vires patiuntur, vel plures, attamen adeo leviter sunt affectae, ut parvam, non dicam, nullam inde sentiat homo molestiam. Huc iure referuntur — 1) temperamentorum gradus quidam determinati, quibus videlicet virium quarumdam ad alias ratio laeditur, ut parvam inde percipiant subiecta aegrotationem, quam tamen ipsi saepius, imo plerumque sanitati nihil obesse putant. Phlegmaticus, ex. c. alacriter et vivaciori ratione actiones eas nequit perficere, quas sanguineus aut cholericus exercet. Melancholici digestio, secretio et excretio multo lentius tardiusque perficitur, quam sanguinei aut cholerici; et quamlibet aliquatenus inde afficiatur, haud tamen solet se aegrum dicere. Sanguineus ex motu corporis haud valido sed mitiori sudoribus copiosis et lassitudine saepius valida afficitur, neque tamen, accedat licet saepius humorum orgasmus sat notabilis, aegris sese adscribit. Cholericus haud raro affectibus levibus graviter laborat, quamvis tamen nonnunquam bilis corruptio levis, nausea etc. oriantur, haud aegrum sese esse, fatetur. De his, ut de statu neutro generatim, loquitur Galenus in lib. I. de sanitat. tuenda. c. 5. — 2) Praedispositio ipsa, sive proclivitas ad varios morbos, in temperamentorum, anni temporum, sexus, aetatis, vitae generis, victus potusque ratione fundata. Esse aliquid praeter naturam accidens in praedispositione, haud inficiandum, neque tamen ad statum morbosum proprie referenda erit, si iustam ferre volumus sententiam. Exemplum unicum sufficiat: Tempore grassantium tetartaearum autumnali, si in hoc illove subiecto caussae debilitantes sunt admissae, si iam levibus patitur intestinorum obstructionibus, quae haud ullam inferunt molestiam, neque functionem ipsam intestinorum subvertunt, expectanda tamen erit in eiusmodi homine tetartaea, nisi accedat curatio prophylactica. Hinc liquet, quid sit praedispositio, et esse omnino ad statum neutrum reducendam eamdem.

N. Monendum tamen, haudquaquam maiores nostros διαθέσει sua idem voluisse exprimere, quod nos praedispositione, quod ex infra dicendis magis patebit.

3) Graviditas ipsa sibi soli relicta, neque morbis accedentibus, est omnino status neuter inter sanitatem et aegritudinem. Virium omnium corporis feminini aequilibrium quidem penitus quamvis non tollitur, adsunt tamen caussae sufficientes, quae quarumdam partium vires adeo debilitant, ut consequatur aegrotatio, quanquam aegras se esse negent mulieres. — Dantur praeterea gradus aegritudinis, qui differunt pro diversa virium laesione, quae mox

magis iam minus universalis, modo minor nunc maior apparet. Senem supponas, sola rigiditate musculorum laborantem, qui praeterea quod solitos motus corporis peragere nequeat, sanum omnino se esse fatetur, cuius tamen si cornea rigidior evadat et visum impediat, ad statum morbosum nihil confert: sanum adhuc se fatetur, si saltim visus obscuratus, et ob membranae tympani duritiem aut callositatem auditus deficiat. Pari ratione et gravida, licet actiones consuetas perficere haud possit, irritabilitate maiori afficiatur et varias percipiat molestias, nihil tamen aegri adesse contendit, donec phlegmatia pedum, vel ascites, vel haemorrhagiae accedant, quae statum adesse morbosum luculenter monstrant.

46.

Optima aegritudinis definitio quoque nostra est, ob insignem quem praestat usum in praxi ipsa exercenda. Quodsi enim virium tantum nostrarum aequilibrium sublatum statuimus aegritudinem, nihil peregrini inveniemus in statu morboso, observabimus easdem vires adhuc adesse, quamvis non adeo vigentes nec in eadem affinitate, quam animadvertimus in statu sano. Cessantibus enim viribus omnibus, mors illico consequitur; adsunt quidem vitia virium, et defectus modo huius vis, iam illius, attamen complexus, atque consensus omnium virium, haud penitus destructus sed tantum laesus apparet. Hinc therapeutae medici est, ad hasce vires in medendo respicere, deminutas augere, nimis auctas deminuere, eaque methodo restituere perditum aequilibrium, ut sanitas consequatur. Creator medicus nunquam erit, sed nihil nisi auxiliator et moderator deficientium virium corporis humani et animalis.

47.

His praemissis patet iam ad notionem morbi, qua diutius adhuc occupabimur, transitus. Morbum proxime sequi concursum caussarum aegritudinis statuimus, et esse eumdem statum corporis humani internum eum, quo functiones laedantur; quam definitionem ἀναλυτικῶς decet considerare. — 1. Status est, non actio ipsa; patitur enim semper aliquid, neque mutationis ratio in parte ipsa affecta solummodo quaerenda, sed in externis, quae agunt in eamdem. Patibilem qualitatem dixit morbum cum scholasticis veteribus Fernelius meus, indicans, res non tam logicae, quam logicam rebus subsistere examinandis et diiudicandis. — Impotentiam hinc esse morbum, non caussative sed subiective, provenientem ex praeternaturali dispositione et constitutione partium, quae non inducat privationem sive negationem, sed oppositionem ipsam, maiores nostri censuerunt; non esse morbum in ipsa cessatione actuali et reali, sed in impotentia ad agendum ex substantia obstante dependente. — 2. Internus, non externus, est status corporis humani; cum externa vitia functiones laedentia magis ad caussas morbificas ipsas,

vel ad physica pertineant obstacula. Miasma putridum, cibi ipsi in corpus ingesti, exercitationes nimiae ad morbos iusto non censentur, cum ad externas potius pertineant caussas. — 3. Functiones ipsae proxime laeduntur morbo, hinc distinguitur a caussis morbificis et symptomate. Caussae producere debent prius morbum ipsum, neque proxime laedunt functiones; sed morbus ipse, videlicet atra bilis, lithiasis, scorbutus, syphilis, pendet a caussis morbificis et producit functiones laesas, qualitates sensibiles alienatas et excretionum vitia. Hinc patet, laesam ipsam functionem nunquam nomine morbi, nisi *καταχρηστικῶς* insigniri debere, v. g. febris, phlegmasia, apoplexia sunt laesae functiones ipsae, vel syndrome symptomatum passionem constituentium. Id quod febrim autem, phlegmasiam etc. in hoc vel illo casu producit, v. g. catarrheuma, neurosis, est proprie morbus dicendus, quoniam est status corporis humani internus, quo functiones laeduntur.

48.

Quaeritur, cum protophilosophi inter medicos Graecos morbum dixerint in *διαθέσει ἐμποδιστικῇ* consistere, hanc autem in eo, quod maneat, fundari, num morbus non possit, sicut saepius fit, cum qualitate, sive quantitate alienata saepius coniungi? — Aristoteles quidem solam qualitatem, qua corpus afficitur, dixit *διάθεσιν*, Galenus autem quidquid corpus nostrum qualicunque modo adgreditur praeter naturam, quod a quibusdam recentiorum accurate discernitur ab afficiente contra naturam. Ad prius enim pertineret, secundum Fernelium meum, status neuter, de quo supra locuti sumus, ad hoc vero status morbosus ipse, quo functiones revera laeduntur, cum caussis, passionibus et symptomatibus suis. — Morbus unum genus est, neque habere potest species in diversis categoriis, itaque participatione unius generis, morbos omnes unum esse edixit immortalis Leonh. Fuchsius [80]) et stabilivit, morbum esse, quidquid in corpore praeter naturam exsistat, evertens temperiem aut structuram, (ad quas tamen saepius appellavit magnus Pergamenus), atque ita laedens operationem. Usurpare autem videtur Galenus voculam *διάθεσις* ad morem veterum, scilicet Platonis et Aristotelis, neque vero proprie eadem uti, praeter locum in lib. II. Methodi, ubi definit eamdem: et esse, ait, quasdam morborum caussas, quae sint affectiones et quasdam, quae non sint, et quaedam symptomata, quae sint affectiones, et quaedam, quae non sint. — Arabes autem atque Latinobarbari solebant morbum dicere ametriam eorum, ex quibus corpus constat, in temperiebus quatuor aut in structura [81]). Consistit autem haec ame-

80) Iatropolog. Lib. IV. p. 567. 81) Abusaïd Honaïn Introduct. ad art. parv. Galen. Matth. Sylvatic. Lib. pandectar. medic. fol. 1526.

tria in vulgo sic dicta ratione reali, quae in categoria ad aliquid collocanda [82]). Hinc dixerunt cum Nicol. Bertruccio et Aegidio Corboliensi fere omnes latinobarbari morbum esse ad aliquid. — Aristoteles autem ipse [83]) aperte reponit morbum in categoria qualitatis, quum dicit: homo mutatur, ex calido frigidum subiens et ex sanitate morbum. Morbum vero omnem manifesto idem vel in habitu vel in dispositione collocat (ut et Galenus dixit *νόσον τὴν ἕξιν νοσώδεα, ἢ διάθεσιν ἐμποδιστικήν*) ad illos v. g. hectica, ad hos autem septica febris. Per calidos morbos intelligit calorem, vel qua calor est, vel qua male disponens, morbus calidus autem plerumque est qua mala dispositio. Itaque non ad categoriam quanti, sed qualis pertinet: calorem enim immodicum Galenus non caussam febris, sed febrim ipsam dicit. Qualitas manet excedens cum ametria, caussae autem possunt manere et non manere cum morbo: hinc qualitas excedens non est caussa, sed morbus ipse, ametria. — Quod ad relationis categoriam attinet, per se est nullius actionis, itaque per se laedere nequit, dum nequicquam potest per se operari; neque quantitas est efficiens aliquid, cum in trabem nihil agat sustinens undarum congregatio, et ex substantia melius declarentur, quam ex quantitate. Sic et similitudo nihil agit per se, sed corpus simile attrahit simile corpus, neque qua relatio aliquid potest efficere. — Qualitates igitur primo actiones laedunt, neque consistit morbus in *ἀμετρίᾳ* ipsa: quamquam enim adsint in quibuslibet morbis intemperies quaedam calidi, frigidi, sicci et humidi, partium tamen haec nulla relatio est, sed *διάθεσις* quaedam, qua male disponitur corpus, quae tamen non in eodem potest manere statu uno momento, sed proportio assidua laeditur et manet irrationalis [84]).

49.

Consentiunt cum Galeno [85]) plerique, morbum haudquaquam esse affectionum primarum *ἀρχῶν* corporis animalis, quippe quae, tanquam *ἄτομα*, nullam patiantur affectionem. Quodsi enim ex *ἀτόμοις*, quae pati non possunt, seiunctis omnibus viribus primariis, constaret corpus animale, compositionis duntaxat qualitatem, maioris, minorisque rationem susciperet; veluti domus, quae ex lapidibus, qui nihil patiantur, constructa est. Hinc patet, statum illum corporis humani internum, quo functio-

---

82) Aristoteles de motu lib. VII. c. 3. 83) Categor. l. IV.
84) Erunt omnino, qui altis superciliis haec legerint et scholastica putaverint et paedantica, ut barbara ista voce utar. De his, qui profundam scientiam contemnunt, soliti sunt Arabes dicere: راى الغول علي جمل اروق i. e. vidit draconem (aut faunum) camelo variegato superequitantem. * * Avicenn. Canon. l. IV. sect. III. tr. II. c. 2. [?] 85) De morbor. different. Lib. I.

nes laedantur, inesse partibus dissimilaribus, sed haudquaquam elementis aut simplicibus, quippe quae nihil ad morbum constituendum conferre possunt. Rigiditas ipsa fibrarum simplicium muscularium morbus non est, nisi ad dissimilares partes transeat, nisi musculi toti cum vasis et nervis inde afficiantur et functiones laedantur.

50.

Probe praeterea in definiendo morbo discernendum erit id, quod primario laedit functiones, et affectus ipse, qui laedit alias functiones. Quodsi corpus, quod in tumorem attollitur, nullam propriam habet functionem, unus tantum erit morbus, puta obstructio, quae functionem laedat. Nonnunquam praeter hunc alius quoque corporum adfectus instat, qui obstructionem efficit; corporis vero, quod in tumorem attollitur, adfectus, non morbus, sed morbi ipsius caussa censetur. Si enim, ex gr., tunica venae, quae in sima iecinoris parte continetur, huiusmodi quempiam adfectum sustinens, meatum constipet, per quem gibbi ipsius vasa sanguinem recipiunt, duo existimandi sunt morbi, alter ipsius venae adfectus, alter obstructio meatus, quippe venae adfectus obstat, quominus sanguis utilis generetur; obstructio vero ipsius per corpus digestionem impedit. Cum vero harum functionum utraque est animanti necessaria, manifestum est, eos affectus, qui primo functioni officiunt, morbos esse nominandos. Ubi vero nihil patitur, crassi autem et viscidi humores meatibus infixi digestionem per corpus remorantur, hic adfectus, nempe obstructio, unicus erit visceris morbus. Haud aliter in intestino: si sola fuerit obstructio, unicus erit morbus; at si phlegmone quoque infestetur, atque ob hanc internum ipsius spatium claudatur, prohibeaturque excrementorum transitus, duo erunt morbi. Nam subinde morbus ex morbo nascitur, ut infra pluribus ostendemus. — Caussam epigenematum et phaenomenorum status morbosi totius magnus Pergamenus fere semper nuncupat morbum: sic [86]) febrem erysipelaceam ex refrigerio ortam habet passionem cum suo symptomate (febre) ex morbo (catarrheumate) oriundam.

N. Serram contentionis iam reciprocarunt super vetusta definitione *τῆς νόσου* **Casp. Hofmannus Instit. Med. III. c. 2. p. 291.** et **Schegkius Demonstr. XV. 446**

51.

Platon licet *πᾶν γὰρ ὅτιπέρ ἂν πάσχῃ τις, πάθος προςρητέον* edixerit, haud tamen ad medicos transiit eiusmodi usitatus et communis voculae *πάθος* significatus. Namque, praeterquam quod veteres librorum, qui vulgo Hippocrati tribuuntur,

---

86) De differ. morb. Lib. I. c. 7.

auctores *περὶ νούσων* et *περὶ πάθων* curatius istud observaverint, discrimen, Galenus etiam valde circumspectus fuit, ut probe discriminaret passionem et morbum. Recenset Galenus cap. 1. libr. de different. symptom. [Vol. VII. p. 45. ed. K.] Platonis denominationem passionis, neque eidem consentiens, exempli tantum gratia eamdem citat, ut monstret, passionem non id esse, quod actionem producat, sed motum ipsum actionis. Post addit: *χρὴ μεμνημένους, ὅπερ ἀεὶ λέγεται πρὸς ἡμῶν, ὑπὲρ μὲν τῶν ὀνομάτων, ὅτι τάχιστα συντίθεσθαι πρὸς ἀλλήλους· ἐπὶ δὲ τὰ πράγματα σπεύδειν αὐτὰ καὶ διατρίβειν τε καὶ χρονίζειν ἐν ἐκείνοις.* — Passionem itaque, Galeni more, dicimus motum circa materiem ab efficiente procedentem, differentem in eo a morbo, quod hic sit proprie *διάθεσις*, manens affectus, primo laedens functionem; affectus autem, qui hunc praecedunt, non esse nisi caussas morbi. Pergamenus noster his expositis statuit nexum caussalem in statu morboso, quem cum calculis ordine dispositis comparat, quorum si primum moveas, sequentes per se promoventur. Hinc rite diiudicare non possumus unam partem status morbosi, nisi ad praecedentem et sequentem simul respiciamus. Caussam dicimus omne id, quod par est morbo producendo; morbum, statum corporis humani internum, quo functiones primo laedantur; passionem autem, vel functionem laesam, vel syndromen symptomatum, functionem laesam indicantium; symptoma vero, sequelam status morbosi sensibilem molestam.

52.

Cum itaque passionem dicamus partem quamdam intermediam status morbosi inter morbum et symptoma, recedimus omnino a multorum eorumque omni doctrinae genere cumulatissimorum virorum sententia. Attamen sequentia pro nobis stant, quibus fixi innitimur, argumenta. — 1. Cum morbum dixerimus secundum Galeni sententiam, affectum corporis humani praeternaturalem, quo actiones primario laedantur, intercedat aliquid necesse est, antequam symptomata ex morbo ipso fluere apertis credamus atque manifestis argumentis. Exemplo illustremus, quae modo protulimus: Fac adesse in corpore coniunctionem atrabilariam, quam vere morbum pronunciamus, cum primario laedat functiones; accedunt caussae debilitatis pectoris topicae, abusus victus et potus exaestuantis, dyspepti, animi adfectus moesti, lenti, obtingit constrictio pectoris spastica, a motu aut cibo sumto adaucta, cum suffocationis subitaneae timore, pulsu irregulari, lipothymiis frequentibus, levatis sub quiete et victu modico. Nonne syndromen horum symptomatum nuncupare licet orthopnoeam, quae tali modo constituit *πάθος*, passionem, mediam inter morbum et symptomata. — 2. Morbus quidem functiones primario laedit, laesam vero ipsam functionem nonnisi primariam, ceterisque palmam praeripientem recte insigniri symptomatis nomine haud facile crediderim; quippe cum adsit epigenematum et

sequelarum status morbosi caterva, quae omnia in una primaria functione laesa conveniunt, ab ipsa originem derivantia. — 3. Morbum esse per se invisibilem iam edixit Galenus, hinc haudquaquam in rem fore persuasus sum, quod vulgo quodcunque profluvium, luxatio, gangraena etc. dicantur morbi. — 4. Evitamus tali modo facile differentiam arduam inter morbum proto- et deuteropathicum, quos et saepius confundi cum idiopathico et sympathico, et distingui aegre posse, quisque concedit. — 5. In praxi ipsa multa ex eadem re et praesentissima manant commoda, cum nunquam passionem, sed ubique morbum curatione profligemus. Ita quicunque mederi cupit apoplexiae, paralysi, febri tritaeae, medeatur oportet atrae bili, scorbuto, arthritidi, neurosi, plethorae etc. et profligabit cum morbum tum passionem.

53.

Quamvis Galenus optime distinguat inter *νόσον* et *πάθος*, quorum prior vocatur *διάθεσις γεγοννῖα*, posterius vero *ἐνέργεια* sive *κίνησις ἐν γενέσθαι*, solent tamen multi, iique egregii medici promiscue usurpare modo hanc, modo illam vocem, quod tamen nos, eximii inter nostros cives medici, Doct. Danielis, ductu accurate facere conati sumus, cum et in praxi ipsa dignitatem et praestantiam eiusmodi discriminis saepenumero confirmatam viderimus.

54.

Temporis angustis circumscriptus limitibus optarem, reliqua, quae mihi proposueram de differentiis morborum et passionum ex viribus corporis humani derivandis proferre, verum enim vero minima tantum parte absolutae opellae hic coronidem imponere cogor; alia occasione autem, quae magno hic dixi transcursu, amplius dilucidaturum esse pollicèor. Nihil vero iam superest, nisi iterum iudices aequos summis obsecrationibus moneam, ut tentamen hoc meum benigne accipiant, sperentque, iuvenem iuvenili labore haud adeo insignem, maturiori aetate meliorem praestiturum esse.

THESES.

1.

Febris nunquam est morbus.

2.

Iudicialis corporum inventorum sublatio fere nunquam est probanda.

3.

Theoria respirationis, quae Crawfordio et Kirwano debetur, rationi haudquaquam analoga videtur.

4.

Classificatio aegritudinum, more botanicorum, est perversa.

5.

Castoreum praestantissimum est remedium antispasticum: vti et Magisterium Bisimuthi amplius tentandum.

6.

Syphilis, scorbutus, et rhachitis Hippocrati iam innotuerunt.

7.

Critici dies nostro adhuc aevo saepius observantur.

8.

Obsunt in carie et ossium denudatione spirituosa et exsiccantia.

9.

Docimasia pulmonum est fallax.

10.

Aphthae sunt plerumque criticae, sequentes cardialgiam.

11.

Angina pectoris cum sit absurdum nomen, ad Orthopnoeam atrabilariam referenda, et gummiresinae cum antimonialibus tentandae.

12.

Ex nulla re plura praesentissima manant in rem publicam nostram detrimenta, quam ex magnetismi Mesmeriani usu; ideoque odio internecino est profligandus.

II.

DE FRUMENTORUM, MAXIME SECALES ANTIQUITATIBUS.

PROLUSIO, QUA DISPUTATIONEM PUBLICAM FILII GULIELMI SPRENGEL, CHIRURGORUM CASTRENSIUM PRAEFECTI, EIUSQUE PROMOTIONEM D. XX. APRIL. MDCCCXVI, INDICIT.

Cum Linkius, collega amicissimus, in literis humanissimis nuper nunciaret, se, in academia berolinensi de veterum frumentis lectionem [1]) habiturum, a mea de *τίφη* et siligine sententia discedere, ut hanc denuo perpenderem atque retractarem instinctus, mox sensi, si novo post plures annos studio quaestio-

1) [Cf. Link Abh. über die ältere Geschichte der Getreidearten, in: Abhandlungen der Berliner Akademie der Wissenschaften. 1816. 1817. p. 123—142.]

nes iterum ventilantur, emolumenti haud parum inde manare. Itaque, quae iam mihi vero videntur proxima esse de veterum frumentis quibusdam, ingenue fatear: cum quibus sive congruerit collegae opinio, sive ab iis recesserit, id saltem scio, me veritatem sectari.

I.

De *ΤΙΦΗι* Theophrasti et Galeni.

Τίφην igitur, frumenti genus, Theophrastus pluribus memorat locis. *Ὁμοιόπυρον* s. tritico similem dicit (histor. plant. VIII, 1.): *ἐν στάχει* [*στάχυϊ*] s. in spica florere (ib. VIII, 2.): *πολύλοπον* esse, seu folliculis pluribus inclusum gerere granum (ib. VIII, 4.): *κουφότατην* esse et *μονοκάλαμον* et *λεπτοκάλαμον, δι' ὃ καὶ χώραν ζητεῖν λεπτήν* i. e. levissimam esse et unico tenuique calamo instructam, hinc in tenui solo provenire (ib. VIII, 9.). Hanc et zeam transmutari in triticum, si pistae fuerint, sed contingere id tertio demum anno (ibid. II, 4.). Triticum tamen, vice versa, neutiquam in *τίφην* abire, si abortaverit. (de causs. plant. IV, 6.) His accedit Aristotelis locus (histor. animal. VIII, 21.), ubi ad sues alendas utilem censet *τίφην* atque ad tollendas grandines.

Mnesitheus Cyzicenus, qui Alexandriae vixit, *περὶ ἐδεστῶν* auctor, *τίφην* cum *ζειᾷ* confudisse, illam praetulisse tritico, huic vero *ὑμενώδη* tribuisse grana et digestu difficilia dicitur. (Galen. de facultat. alimentor. I, p. **312.** ed. K. Vol. VI. p. **512** sq.) Diocles vero Carystius bene utrumque frumenti genus distinxerat, cum *τίφην* inferiorem tritico haberet.

Memoratu perquam dignum est, a Dioscoride *τίφην* plane negligi, neque verbo memorari. Eius loco *ζειά* describitur *ἐν δυσὶν ἐλύτροις* semen gerens, inferius triticeo, superius hordeaceo [?] (mat. med. lib. II. c. **111.**). Hanc eamdem esse Mnesithei *ζειὰν*, Theophrasti *τίφην*, cum Anguillara, Fuchsio, Dodonaeo facile crediderim. Hesychio *τίφη* dicitur *ὄλυρα* (lex. ed. Alberti, vol. II. p. **1395.**). Uberius vero de ea Galenus (de facultate alimentor. I. p. **312. 313.**): esse panem e *τίφῃ* pistum nigrescentem, mali odoris et *ὑμενωδεστέραν οὐσίαν*. Semen habere extus *λέμμα*, s. folliculum, ut et *ὄλυρα* et *κριθή*; esse flaviorem seminis colorem et molem minorem quam tritici. Coli in Thracia, ubi *βρίζας* nomine veniat. Quodsi Hector in Iliade [VIII, 188.] dicatur *μελίφρονα πυρόν* equis dedisse, *τίφην* hanc intelligi, quod haec sine noxa equis exhibeatur, triticum vero haud sine noxa.

Ex omnibus his quidem testimoniis olim (histor. rei herbar. I. p. **80. 280.**) effici posse arbitratus sum, Secale nostrum cereale *τίφης* nomine intelligi. Namque nigrescens panis color, sterile solum, quo provenit, et similitudo cum tritico, prodere id videbantur. Accedit, quod, cum librum eum scriberem, me latuit, Secale cereale certissime spontaneum inventum

esse a Marschallio Biebersteinio, eximio viro, in arena mobili Tauriae prope a portu Theodosiano (flor. taur. cauc. I. p. 84. [Sec. fragile M. B.]). Eius cultura igitur facillime potuit in Graeciam introduci, cum tam florentissimum esset commercium Chersonesi illius cum Attica, ut quadringenties millia medimnûm frumenti quotannis adveherentur (Wolf ad Demosthenis orat. in Leptin. p. 251. 252.). Habui insuper, quem sequerer, e maioribus nostris Ruellium (histor. stirp. lib. II. c. 17.), qui βρίζαν Thracum pro secale venditaret.

At vero plura repugnant, quin eidem etiamnum sententiae possim adhaerere. Protinus enim contraria est πολύλοπος grani indoles, quam Theophrastus diserte tradit; quamque Galenus ita exponit, ut λέμμα simile adesse ac in ὀλύρᾳ et hordeo, dicat: hoc autem folliculo carent secales grana. Dein ξανθότερον dicitur frumentum triticeo, quod haud facile de secalino grano dixeris. Iis argumentis iam contra Ruellium utitur Dodonaeus (stirp. p. 500.) et post eum I. Bauhinus (hist. II, p. 416.). Posset quidem τίφη pro Tritico Spelta aut Zea Host. haberi, ni repugnaret eadem parvitas grani, cum maior sit speltae moles, ni contraria etiam esset et μονοκάλαμος et λεπτοκάλαμος herbae indoles.

Confugeris forte ad Hordeum Zeocrithon, cuius semen subrufum pluribus folliculis cingitur, quod in agro parisino (Vaillant bot. paris. p. 105.) et in ducatu slesvicensi colitur, ubi proventus eius ad annonam Hordei distichi se habet, ut 22: 12 (Viborg von der Gerste, p. 41.). Posset igitur τίφη huc trahi; sed obstant nonnulla. Solum enim poscit Zeocrithon fertile: τίφη vero tenui contenta esse consuevit. Dein λεπτοκάλαμον etiamsi sit ut τίφη, haud tamen μονοκάλαμον est, sed πολυκάλαμον; culmorum enim insignem producit multitudinem. Far etiam dicitur haud nigrescens, sed eximium (Viborg l. c. p. 50.) et candidum. (Böhmers techn. Gesch. der Pflanz. I. p. 287. Schrebers Gräser, I. p. 127.) Denique ὁμοιόκριθον magis est hoc frumentum quam ὁμοιόπυρον.

Iam ad Triticum monococcon me converto, quod nostrates Peterskorn, Emmer, Einkorn vocare solent. Est id μονοκάλαμον et λεπτοκάλαμον; tenui solo contentum est; colitur in Suevia, solo, quod nec triticum nec speltam fert. (Thaers Grundsätze der ration. Landwirthsch. IV. p. 67.) Folliculo duplici includitur granum, quod rutili est coloris et multo minoris molis quam triticeum. Mola, ut spelta, decorticari debet. (Trag. Kreuterb. f. 245. a.) Far est ingratum nigrescens. (Böhmers techn. Gesch. der Pflanz. I. p. 282.) Itaque in Suevia magis ad ptisanam adhibetur, aut ad spiritum frumenti, quam ad panem. Hinc Plinius illustratur, qui (lib. XVIII, 20. §. 4.) sic loquitur: „Tiphe et ipsa eiusdem est generis (nempe triticei), ex qua fit in nostro orbe oryza (ptisana oryzae similis.)" Nihil profecto video, quod

nostrae sententiae, Triticum monococcon esse τίφην, repugnet. His accedit auctoritas maiorum.

Tragus enim (Kreuterbuch f. 245. a.) Dinkel nomine, sicut olim et τίφη cum ὀλύρα commutabatur, ad ζέαν veterum trahit et sterilibus locis in der Eyffel und im Westrich coli tradit; sed panem ex eo solo confectum esse subfuscum et ingratum; misceri igitur far cum spelta. Mnesithei Zeam, quae τίφη est Theophrasti et βρίζα Thracum, esse hoc frumentum, Dodonaeus adserit (stirp. hist. p. 493. 494.). Ruellius (stirp. hist. lib. II. c. 17.) granum froument locar, quasi loculare, vocari ait in Gallia Narbonensi, quia pluribus tunicis, perinde ac loculis, condatur; etiam rubrum (froument rouge) dicitur, quod granum ad eum colorem accedat. (Cf. Dalechamp hist. lugdun. p. 395.) Far vennuculum et rutilum Columellae (lib. II. c. 6.) huc trahere haud ausim, quod ponderis maioris quam Clusinum esse dicitur: nostri autem frumenti far levius est triticeo vel speltino. Retzius amicus (om Romern. matväxter, p. 125.) ad Hordeum Zeocrithon far vennuculum pertinere persuasum habet.

II.

De SILIGINE Columellae et Plinii.

Brunfelsii (herbar. tom. III. f. 203.) potissimum et Scaligeri auctoritas (comment. in Theophr. de causs. plant. lib. IV. c. 12.) me olim impulit, ut siliginem Romanorum pro secale nostrate haberem (hist. rei herb. I. p. 151.). In quo me vehementer falsum esse, ingenue faterer, etiamsi Retzii (om Romern. matväxter, p. 127.) et Linkii amicorum animadversionibus commonefactus haud essem.

Etenim ad primum rei rusticae romanae auctorem Catonem adscensuro occurrit protinus (Cato de re rust. c. 35.), siliginem triticum dici. Post eum Varro (de re rust. lib. I. c. 23.) in pingui solo siliginem et triticum serunda esse iubet, quod de secale nunquam dixisset. Columella (lib. II. c. 6.) siliginem habet manifesto tritici speciem; in siliginis speciebus et triticum trimestre (s. aestivum) numerat. Disertius etiam Plinius (lib. XVIII. 20.) e siligine lautissimum panem pistrinarumque laudatissima confici opera tradit; dein similaginem appellari in tritico, quod florem in siligine ait. Sine arista esse, excepta, quae Laconica dicatur. Tritici etiam delicias dicit; candorem esse et sine virtute et sine pondere, convenire humidis tractibus; biennio in triticum transire. Postremam observationem quoque apud Palladium (de rust. lib. I. tit. 6.) legeris. Accedit Iuvenalis locus (sat. V. v. 70):

„Sed tener et niveus mollique siligine factus
„servatur domino" (panis).

Itaque non dubito, siliginem Tritico hiberno adscribere, quod sine aristis provenire Plinius docet. Pontedera quidem (opp. posth. I. p. 21.), Plinium ideo taxat, quia Tr. aestivum in cisalpina Gallia solum seri notum sit: sed antiqua tempora cum nostris haud commutanda sunt. Transire autem, ut Plinius et Palladius iam referunt, Triticum hibernum in aestivum, et nostra aetas confirmavit. (Thaer Grundsätze der ration. Landwirthschaft IV. p. 49.) Hanc vero sententiam, siliginem nimirum esse Tr. hibernum, Rich. Bradleius (survey of the ancient husbandry, p. 77. 78.) iam protulit. Sic et Targionius Tozzetti (raggion. sull' agricolt. toscan. p. 123.) grano dici siliginem ab hodiernis Etruscis adfirmat.

Siliginem existimat Antonius (Gesch. der deutsch. Landwirthsch. I. p. 392. 393.) a tempore inde Caroli M. secale nostrum dici; sed aegre crediderim. Namque Sigalum, Sigale, Sichalis, Sicalis nomina erant, quibus secale nostrum a seculo inde octavo ad duodecimum usque, insigniebatur. (Capitul. Caroli M. ad 796. ed. Holsten. c. 11. Baluz. miscell. tom. III. p. 144. Demússis chron. placent. ad 1185. in Muratori script. rer. ital. tom. XVI. col. 456. et Castelli chron. bergom. ib. col. 961.) Et in ipso Emanuele Moschopulo, seculi XIV. scriptore (περὶ σχεδῶν p. 75. ed. Stephan. Paris. 1545.), σικάλες nomen occurrit, quod perperam auctor cum ζειᾷ et ὀλύρᾳ idem habet; ad ὄλυραν etiam falso trahit Brunfelsius (herb. tom. III. f. 203.).

Iam quaeritur, si siligo neque fuerit secale, neque τίφη, quaenam sint eius frumenti, secales nimirum, origines. Unicum in antiquis scriptoribus habeo locum: Plinii (lib. XVIII, 40.), haec tradentis: „Secale Taurini sub alpibus asiam vo-„cant; deterrimum et tantum ad arcendam famem: „fecunda, sed gracili stipula, nigritia triste, sed „pondere praecipuum. Admiscetur huic far, ut mi-„tiget amaritudinem eius: et tamen sic quoque in-„gratissimum ventri est. Nascitur qualicumque so-„lo cum centesimo grano, ipsumque pro laetamine „est."

Cum omnibus maioribus nostris consentio, primum hoc esse et unicum secales nostratis vestigium. Mirum omnino, Graecos id haudquaquam cognovisse, cum e Tauria, ut supra monuimus, facile habere potuissent. Mirum, ad Alpium Graiarum et Poeninarum fores Plinii tempore cultum fuisse, ni forte et Theodosia Tauriae Massiliam advectum fuisse credideris. Nonne asiae nomen taurinense eam indicat originem? Inde potuerit propagari in Galliam Aquitanicam et regionem Italiae transpadanam. Id postremo exploratum habemus, a Caroli inde M. temporibus sigalis aut sichalis nomine per Germaniam cultum esse.

III.

HYDRARGYRI ANTIQUITATES.

PROLUSIO, QUA DISPUTATIONEM PUBLICAM IUV. ORN. CAR. GUL. AUG. BUHLE, HALENSIS, ET BERN. IAC. KOHN, MEGAPOLITANI, D. XIX. IUL. MDCCCXXIII INDICIT.

Lectis nuper, quae Döbereinerus olim ad exponendum Ausonii epigramma commentus est [1]), subiit animum similis, Fourcroyi temeritas, qui Aristotelem iam ex hydrargyro cum saliva trito utile confecisse medicamentum perhibet [2]). Quod quam longe alienum sit a veritate, cuivis innotescit, qui modo a limine historiam artis et medicae et chemicae salutaverit. Itaque utile putavi consilium, paucis hydrargyri antiquitates aperire eorumque remediorum originem, quae eo parantur.

Haudquaquam autem prius aliquod vestigium huius metalli repereris quam in Aristotele, qui cum oleo *τὸν ἄργυρον χυτόν* comparans aquae iuxta ac aëris elementum continere docet [3]). Unicus is locus, interpretationibus syriacis, arabicis et latinobarbaris corruptus variisque additamentis auctus legitur in scriptoribus medii aevi, v. g. Vincentio Bellovacensi [4]); quandoquidem spurius circumferebatur Aristoteles de perfecto magisterio [5]), qui futilia omnia artificia chrysopoietica profert.

Theophrastus *ἄργυρον χυτόν* parari docet, dum in cupreis mortariis iisque pistillis cinnabaris cum aceto teratur [6]); quod consilium Plinius repetens aliud addit: hydrargyrum enim fieri ait, dum argenti vivi minera seu minium (cinnabaris) patinis fictilibus imposita ferrea concha seu calyce operiatur, argilla superillita, dein, sub patinis accenso follibus continuo igne, calycis sudor (vel fuligo) detergatur, qui argenti colorem liquoremque aquae adipiscatur [7]). Eum conficiendi modum et Dioscorides [8]) habet et Oribasius repetit [9]).

Sed et Dioscorides et Plinius primi venenum habent ipsum hydrargyrum metallicum, quod penetret corpora quaevis organica, lignum pariter ac corium: hinc pondere potius quam alia noxa exedere putant ac corrumpere viscera [10]). Accessit ad con-

1) Schweigger's Journal für Physik VI. p. 360 sq. 2) Système des connaiss. chim. V. p. 291. 3) Meteorologiae IV, 8. §. 11. p. 816. ed. Pac. [*Ἄπηκτα δὲ — ὅσα ὕδατος μὲν ἔχει, ἔστι δὲ πλεῖον ἀέρος, ὥσπερ τὸ ἔλαιον καὶ ἄργυρος χυτός.* Idem de anima I, 3, 9.] 4) Specul. natur. VII, 61. f. 77. ed. Venet. 1494. fol. 5) (Gratarol.) alchemiae verae doctrin. p. 204 6) De lapid. c. 60. p. 762. ed. Schneid. 7) Plinius XXXIII, 41. 8) Lib. V, 110. 9) Lib. XIII, p. 521. 10) Dioscorides l. c. Plinius XXXIII, 32.

firmandam venenatam hydrargyri indolem observatio, quam, ni fallor, primus affert Oribasius [11]) de cinnabari in metallis halitum eructante strangulantem, ad quem arcendum opifices faciem vesicis obvelent.

Priori illi sententiae adhaerens Galenus hydrargyrum omnino venenum habet, quin, et cum ipso arsenico comparat [12]). Sed alio loco *) disertis ait verbis, se nunquam expertum esse, trucidet id metallum vel potum vel extrinsecus applicitum.

His positis colligitur, ad saeculum usque quartum, quo Ausonius vixit, venenatam hydrargyri indolem tum e noxo vaporum tum e summa vi, qua organica penetrat corpora, divinatam potius fuisse, quam quod ulla adfuerit experientia, quae id probaret. Quin ipse Isidorus Hispalensis **), saeculi septimi auctor, e solo pondere venenatam hydrargyri indolem proficisci autumat. Multo minus ullum adest testimonium de hydrargyri mutatione artificiali in sales.

Iam vero, si Ausonii epigramma x. ad Eunapiam (l. Eumpinam) legeris, statim vides, adulteram uxorem scelesto tentamine primam expertam fuisse, haud noxium esse hydrargyrum vivum propinatum, ut antiquitus credebatur. Namque duplex argenti vivi pondus dedit marito, „ut cogeret celerem vis geminata necem." Quo facto tantum abfuit, ut trucidaret maritum, ut potius alvum solveret adeoque „bina venena" iuvarent. Ausonii peculiaris est sententia, singulas doses venenum praebuisse, sociatas autem antidotum. Quae poëtae opinio, ipsi condonanda, nos tamen, historiae artis peritos, seducere nequit, ut prius poculum hydrargyrum fuisse sublimatum, secundum vero hydrargyrum vivum statuamus, unde mutatum illud in hydrargyrum mite fuerit.

Ii opinioni, quam Döbereinerus pronunciat, ecquis assentiri potest, qui naturam corporis humani cognoscit! Ecquis unquam vidit, hydrargyrum sublimatum, dum in stomachum ingestum esset, corrosivam amittere vim, superpoto hydrargyro vivo? Ecquis, talia fando, scientiam corporis humani sibi arrogat? Taceo, eam expositionem ipsis Ausonii verbis adversariam esse, utpote quae alterum poculum ab altero nullo modo diversum ferunt: sed noxium utrumque fuisse, ac, „dum inter sese certaverint, cessisse „letalem noxam salutiferae."

Clarius fiet, quod praefati sumus, historiam hydrargyri per posteriora Ausonio saecula persecuturis Videor autem mihi prima hydrargyri in sales calcesque mutati rudimenta dispicere in

---

11) Lib. XIII. p. 510. 12) De facult. simpl. IV, 19. p. 52. ed. K. Vol. XI. p. 688. — V, 19. ibid. p. 767. *) [De facultate simplic. IX, 32. ed. K. Vol. XII. p. 237. Commentar. in Hippocrat. Epidem. lib. VI. ed. K. Vol. XVII. P. 2. p. 337.] **) [Origg. XVI. 18. Vitruvius de architect. VII, 8. Beckmann Beiträge zur Gesch. der Erfindungen. I. p. 45 sq.]

schola Alexandrina, quae a saeculo inde quarto alchemiae insigniter favit. Namque Synesius Cyrenaicus, Episcopus Ptolemaidos saeculo quinto, varia ad Dioscorum [Serapidis sacerdotem] artificia prodit, quibus *σελήνη*, id est hydrargyrum, figi ac mutari possit [13]). Quid quod Paullus Aegineta, scholae Alexandrinae alumnus saeculo septimo, hydrargyri praeparata igne facta et variis rebus iuncta, proficua esse in colicis doloribus et volvulo, dicit [14]). Quivis autem sine negotio perspicit, Paullum totam, qua parabantur ea medicamina, rationem, nimirum arcanam, haud novisse.

Cum vero Arabes, a Nestorianis edocti, alacriori studio artem chemicam agitare coepissent ac colere, hydrargyrum quoque in varias didicerunt formas redigere ac in ipsos mutare sales. Saeculo iam octavo, quo Geber ille celeberrimus (Abu Musah Dschafar el Sufi Mesopotamicus) floruit, mixtio hydrargyri cum salibus omnino nota erat. Namque, licet sublimatio hydrargyri, quam suadet, nil nisi purgatio est, cum testas ovorum, marmor et talcum eo adhibeat et lucidum inde accipiat hydrargyrum ac penetrans [15]); alio loco tamen sequentem suadet methodum: Mercurium cum vitriolo rubefacto, sale communi et sale petrae mixtum igni imponit, ut moderato calore abeat in massam crystallinam, quae excipuli parietes obducat [16]). Quem modum hydrargyri conficiendi corrosivi repetunt et Albertus Magnus [17]) et Raymundus Lullius [18]) et alii.

Nil mirum igitur, si et Rhazeus, saeculi decimi initio, similem salem in scabie pertinaci aliisque morbis cutaneis commendat, ac ipsa praedicat unguenta mercurialia [19]).

Avicenna vero, licet quinquaginta annos post Rhazei mortem natus, nullum salem mercurialem cognosse videtur. Namque sublimatum hydrargyri, quod مصعد (Mosaad) vocat, ipsum fumum ustae minerae mercurialis esse probabile est, cum mures interficere et animalia fugare venenosa dicat [20]); quod ex Oribasio ipsum hausisse credibile est.

Unguenta mercurialia post Rhazeum primus iterum praedicat Matth. Platearius, quem Salerni saeculo duodecimo vixisse credo [21]). Sequuntur eum Vincentius Bellovacensis [22]) et Gilbertus Anglicanus [23]), uterque saeculi decimi tertii auctor.

---

13) Fabric. biblioth. graec. Vol. VIII. p. 235 sq. 14) Lib. VII. p. 248. *Τινὲς δὲ καύσαντες αὐτὸν, ὥς τεφρωθῆναι καὶ μίξαντες ἑτέροις εἴδεσιν, ἐπὶ κωλικῶν τε καὶ εἰλεωδῶν ἐδίδοσαν πιεῖν.* 15) Geber summa perfect. I, 45. p. 142. ed. Gratarol. 16) Ei. inventio perfection. I, 8. p. 188. 17) Theatr. chem. vol. II. p. 508. ed. Ursell. 1602. 18) De mercurio, ed. Gratarol. p. 173. 19) Rhaz. antidotar. c. 36. f. 81. a. ed. Ven. 1500. 20) Lib. II. p. 167. ed. arab. Rom. 21) Circa instans, f. 225. b. 22) Specul. nat. VII, 64. f. 77. 23) Compend. f. 171. 351.

Itaque post Rhazeum fere nemo prius iterum salium aut calcium meminit mercurialium, ut remediorum, quam Santes de Arduinis, qui saeculo decimo quinto hydrargyrum oxydatum rubrum suasit [24]).

IV.

ANTIQUISSIMUM REGIS AEGYPTII PHERONIS *'ΑΝΑΘΗΜΑ*.

PROLUSIO, QUA IUV. ORN. ERNESTI MEIERHEINE, MAGDEBURGICI, DISPUTATIONEM INAUGURALEM D. I. SEPT. MDCCCXXIII HABENDAM INDICIT.

'Αναθημάτων in templis deorum graecis historiam scripserat Menetor, incertae aetatis auctor [1]). Quae si superesset, primordia artis medicae, quae in *ἀναθήμασι* latere persuasissimum habeo, lucis plurimum acciperent. Convalescentes enim post restitutam sanitatem diis servatoribus vel membra, quae laboraverant, e varia materia confecta, in rei et grati animi memoriam [2]), vel tabulas votivas dicarunt, in quibus effigies membri, quod convaluerat, picta servabatur [3]), vel tabulas appendi in templo curarunt, in quibus historia morbi, aegrotantis nomen aut carmen etiam in servatoris honorem inscriberetur; poëtis, qui id officii suscipere solebant, *ἀναθηματικοῖς* dictis [4]). Superstites nonnullas tabulas votivas ac inscriptiones divulgarunt Sponius [5]), Gruterus [6]) aliique. Sed nuper et Dodwellius oculi ferramento curati effigiem in lapide antiquo sculptam huc traxit [7]).

Antiquissimum autem exemplum eius rei dispicere mihi videor in latere meridionali ac orientali obelisci aegyptii, cuius eversi frusta terra obruta ac sex cubitos infra solum urbis Romae demersa Benedicti XIV. iussu in lucem protracta [8]), a Pio VI. subrecta ac in Monte Citatorio statuta sunt [9]). Praeter alia enim signa hieroglyphica ac sacrorum animalium icones exstat

---

24) De venenis, f. 20. ed. Venet. 1492. 1) Athenaeus deipnosoph. XIII. p. 66. ed. Schweigh. 2) Pausanias X, 2. 3) Tomasini in Graevii thesaur. rom. antiq. T. XII. p. 754. 4) Tzetzes in Lycophront. Cassandr. proleg. p. 258. Hundertmark de increment. artis med. p. 47. 5) Inscriptions antiques, p. 365. 6) Thesaur. inscript. I. p. 67. 82. sq. 7) Classical tour through Greece, I. p. 403. 8) Bandini de obelisco Caes. Augusti, p. 102. 9) Zoega de obeliscis, p. 656.

oculi clausi duplex, aperti simplex effigies in latere meridionali, aperti autem repetita imago in latere orientali.

Iam vero videor mihi in iis, quae sacerdotes aegyptii de Pheronis regis aegritudine et curatione narrarunt, explicationem eorum oculorum invenire [10]). Pheron enim rex aegyptius (Pharao?), Sesostridis filius, patrisque nomine etiam appellatus, Nuncoreus Plinio [11]), Ramesses Manethoni dictus [12]), impietatis erga Nili summum numen, iaculis petitum, poenam habuit coecitatem per decem annos continuos affligentem. Quo morbo per lotium mulieris alienum virum haud expertae curato, ἀναθήματα multa sacrasse dicitur, in iis obeliscos duos in Solis templo, utrumque ex uno lapide excisum, centumque cubitos altum, octo cubitos latum.

Quaeritur iam, sitne Pheronis seu Ramessis hic obeliscus, quem Campensem Romani vocant, quod idem putatur, quem Caesar Augustus, ex Aegypto devectum in campo Martio statuit, ut gnomonis vice esset [13]). Quae quidem opinio ex vano hausta esse haud videtur, cum in campo eodem inventus sit obeliscus. Cum autem Sesostridi eumdem tribuat Plinius, eamdem sententiam pariter tuentur et Bandinius et Zoega, hactenus, ut primum Sesostrida intelligant, licet eodem nomine et filium Ramessem insignitum fuisse tradat Diodorus.

Ex antiquissimis certe esse hunc obeliscum e syenite lapide πυῤῥοποικίλῳ pulcherrime excisum fatentur artis periti [14]). Soli autem dicatum fuisse e symbolis variis scalptis efficit Zoega [15]).

Iam vero repugnare videtur altitudo, quae longe inferior est ea, quam Herodotus Pliniusque memoriae tradiderunt. Herodoti cubitos centum servat Plinius in obelisco, quem post coecitatem visu reddito Nuncoreus Soli sacrasse dicebatur; ipse tamen centum sexdecim pedum altum tradit obeliscum campi Martii. Eidem iam Publius Victor septuaginta duos pedes tribuit [16]). Plinius iterum quadraginta octo cubitos adscribit obeliscis a Sothi (Sesostride) subrectis, quod cum septuaginta duobus pedibus congruit [17]). Restitutum vero a Pio VI. obeliscum Iacobus Stuartus solerter emensus est ad septuaginta unum cum semisse pedum anglicorum [18]).

Quod multo humilior sit obeliscus, quam Herodoti verba ferunt, exponere audeo tum e Graecorum consuetudine, opera aegyptia omnia in maius augere, ut numerum quemdam rotundum praeferrent accuratae mensurae; tum e variis iacturis, quas

---

10) Herodot. II, 111. Diodor. Sic. I, 59. 11) Plinius XXXVI, 11. 12) Josephus contra Apion. I, 15. p. 447. 13) Plinius XXXVI, 10. 14) Bandini l. c. p. 23. Fea ad Winkelmann opere, tom. 1. p. 79. ed. Rom. Zoega l. c. p. 598. 602. 15) L. c. p. 588. 16) Graevii thesaur. tom. III. p. 108. 17) Plinius XXXVI, 7. 18) Bandini l. c. p. 73.

monumentum perantiquum per saecula hominumque iniuriam fecit. Namque, si etiam Heliopoli primitus centum cubitos (centum quinquaginta pedes) habuerit, sine stylobate devectus fuit Augusti iussu atque iterum in campo Martio subrectus. Duravit clades, incendia, devastationes, quas urbs perpessa est usque ad saeculum undecimum. Cum autem Normannorum rex, Robertus Guiscardus, anno MLXXXIV Romam expugnatam vastare iuberet, eversus esse et noster obeliscus videtur [19]). Ex eo inde tempore in quinque frusta diffractus iacuit, terra ruinisque obrutus, donec resarcitis his frustis tandem iterum restitueretur. Hinc credibile est, altitudinem pristinam insigniter decrevisse, ut probabilis sit coniectura, eumdem esse obeliscum, quem *ἀναθήματος* loco Soli dicavit Pheron seu Ramesses, quindecim saeculis ante aeram nostram.

Non defuturos esse arbitror, qui forte obloquantur: oculorum effigiem in obelisco ipsum Solem seu Osiridem significare, cum Sol sit oculus mundi, oculus igitur humanus optime potuerit symbolum Solis esse. Accedere etiam Sexti Empirici testimonium, qui Aegyptios solem dextro, sinistro oculo vero lunam assimilare memoriae tradidit [20]). Quin et Macrobius refert [21]). Osirin seu Solem Aegyptios hieroglyphicis notis expressuros sceptrum scalpere inque eo oculi speciem, quo signo Osiris intelligatur.

Quae etiamsi speciosa sint, nostram tamen expositionem refellere nequeunt. Namque ipse Osiris hieracocephalus, nilometrum manu gestans in pyramidio obelisci campensis sedet, ipsique adversa sphinx venusta, supervolitante scarabaeo sacro, qui pansis alis globum coelestem amplecti nititur. Plures adsunt accipitres sacri, calanticis tecti et alia Solis symbola, ut aliud symbolum superfluum videatur. Postremo oculorum clausorum et apertorum discrimen in alio obelisco haudquaquam obvium est. Neque si Solem intelligi voluisset artifex, nudum oculum, seu speciem oculi in sceptro scalpsisset. Quibus perpensis probabilis existit coniectura, curationem coecitatis exprimere has effigies.

---

19) Romuald. Salern. chron. in: Murat. script. ital. vol. VII. col. 175. Cf. Fea ad Winkelmann, I. p. 339. 20) Lib. V. adv. Mathem. p. 343. ed. Fabric. 21) Saturn. I, 21.

V.

DE ARTIS CHEMICAE PRIMORDIIS.

COMMENTARIOLUM PRIMUM, QUO IUV. ORN. CAROLI EDUARDI FLEMMING, CIZENSIS, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XVII. SEPT. MDCCCXXIII HABENDAM INDICIT.

Viam ingredior arduam salebrosamque, cui se pauci commiserunt. Neque mihi arrogo, nova multa priusque inaudita prolaturum esse, cum et Borrichius et Conringius, licet diverso consilio, antiquitatis fontes plerosque iam aperuerint. Saecula vero duo, post duumviros eos elapsa, multa nos docuerunt, iudicium acuerunt, superstitionem profligarunt, rationes artis ultimas recluserunt, ut, nisi caligine summa primordia artis tegerentur, speranda sit penitior historiae cognitio. Id saltem affirmare audeo, me plura et clariora videre quam Bergmannum, aut Gmelinum, aut demum Kastnerum, qui, vel a fontium studio alieni, vel iudicii critici expertes, hallucinati sunt, dum quasi per transennas praetereuntes ac strictim antiquitatem scrutarentur.

Aegyptum antiquam artis huius incunabula habere tralaticium est. Quin nomen ipsum Chemiae ex aegyptiaca lingua exponere, priscus est usus. Ut enim mittamus Zosimi ipsius Panopolitae etymologiam, qui angelos fabulatur *ἐγρηγόρους* mulieribus hominum nubentes hanc artem primos docuisse, librumque primum *Χημᾶ* dictum *Χημείᾳ* nomen dedisse 1): alii ad antiquissimum Aegypti regem Chemmin Diodoro dictum 2), qui Cheops Herodoti est 3), ascendunt, a quo plures Aegypti urbes Chemmis appellationem obtinuerunt, in quibus et ea, quam Graeci Panopolin vocarunt 4). Alii ad Chamum, Noae filium, Aegyptiorum patrem, unde et terram Cham Davides Aegyptum nominat 5); quod vero melius e חם, ustus, exponitur, sicut ipsa terra *μελάγγειος* Plutarcho 6), *χεμί* Aegyptiis dicitur, ab atra et quasi usta facie. Alii a *χυμοῖς* nomen repetunt, quod mixtionem humorum potissimum haec ars complectatur, *Χυμία* ideo aut *Χυμευτική* dicenda; quos Salmasius explodit, haud meliorem periclitans expositionem: a *χήμη* enim, quod *χάσκουσα* Hesychio dicitur, derivat, quia camini, in quibus metalla fundantur, aperti

---

1) Georg. Syncell. chronogr. p. 14. ed. Paris. 1652. 2) Diodor. Sic. I, 63. 3) Herodot. II, 124. 4) Coray ad Heliodor. aethiop. p. 371. 5) Psalm LXXVIII, 51. CV, 23. 27. 6) De Isid. et Osir. p. 437. ed. Reisk. *Ἔτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥςπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ χημία καλοῦσι.*

sint [7]). Tandem et Bochartus, alias omnes ridens explicationes, ad arabicam confugit linguam, atque, cum كيميا scribatur ars ab Arabibus, nomen habere etiam a verbo كمي occultum esse, quod occulta ars sit atque arcana, contendit [8]). Quae etymologia eo magis assensum mereri videtur, cum primus omnium scriptorum, qui huius artis meminerunt, Iulius Firmicus Maternus (Constantini M. aetate) voci iam Chimiae articulum al arabicum praefigat [9]). Regeri nihilominus potest, ك Arabum respondere potius τῷ κ, quam ch aut χ, unde *Κιμίαν* potius scripsissent Graeci antiquiores, si nomen eam arabicam haberet originem. Accedit, nos de studio eius artis apud Arabas antiquos nihil plane scire, plurima vero superesse documenta, a priscis Aegyptiis satis cultam agitatamque fuisse. Quibus omnibus perpensis refugiamus ad etymologiam eam, quae appellationi ipsius Aegypti nititur, ut *Χημία* aut *Χεμία* sit ars aegyptia.

Iam vero quaeritur, quanam aetate prima reperiantur eius rudimenta, cum notissimus sit ortus a *ματαιοτεχνίᾳ* illa, aurum e variis metallis aliisque rebus conficiendi. Quodsi fidem ipsis habemus scriptoribus antiquis, fabulas nobis aniles obiiciunt de angelis hanc artem docentibus, de columnis Mercurii, quibus inscripta fuerint praecepta, de Adamo et Mose et Mercurio Aegyptiorum primis auctoribus. Paucis has fabulas indicare libet. Angeli, filii Seth, a Deo desciscentes, in Hermonem montem descendisse, sacramento semet invicem ad societatem mulierum humanarum obligasse, has vero docuisse artem „dividendi aut secandi radices et fabricandi ornamenta" liber perantiquus Enochi nugatur [10]). Conflatum esse eum librum Herodis M. aetate, triginta fere annis ante aeram nostram, auctore Iudaeo in Hyrcania forte aut Ponto exilium tolerante, Laurencius egregie docuit [11]). Ex eodem libro Stephanus Tritheïta *τέχνας καὶ κακοτεχνίας* didicisse mulieres ab angelis ponit [12]). Multo audacior Zosimus et qui eum sequitur Syncellus, qui disertis verbis chemicam artem iis angelis *ἐγρηγόροις* s. vigilibus, tribuunt [13]).

Columnis ac obeliscis Aegyptiorum fuisse inscripta huius artis mysteria, antiqua est traditio [14]). Nititur autem vetusto more, cuius et apud Indos adsunt vestigia [15]), artes varias et cognitiones per columnarum inscriptiones atque notas hieroglyphicas memoriae mandare. Sic iam Platon in insula Atlantide columnas memorat orichalceas, quibus Neptuni leges insculptae fuerint [16]).

---

7) Salmasius Plinian. exercit. p. 772. 8) Geograph. sacra, p. 100. 9) Astronom. III, 15. p. 81. ed. Pruckner. „Si fuerit haec domus ♄, scientiam alchimiae dabit." 10) Lib. Enoch. c. 7. 8. a Laurencio editus. 11) Praef. ad librum Enoch, p. XXVII. XXXVIII. 12) Photii cod. 232. p. 871. ed. Schott. 13) Syncell. chron. p. 14. 14) Olympiodor. apud Borrich. Herm. aeg. p. 50. 15) Asiat. research. III. p. 46. 16) Platon. Critias, p. 502. ed. Basil. gr.

Sic et Proclus Aegyptios prophetas secta sua ἐν στήλαις ταῖς ἔτι νῦν σωζομέναις scripta iactare, e quibus Platon sua hauserit, docet[17]); et Galenus consessum sapientum Aegyptiorum dogmata sua in columnis exarari iussisse testatur[18]). Earum columnarum in Aegypto primum statorem fuisse Hermetem illum, Mercurium Aegyptiorum, multi fabulantur[19]); quem τρισμέγιστον vocant scriptores chemici antiqui, διὰ τὸ κατὰ τρεῖς τινας τῆς δυνάμεως ἐνεργείας τὴν παροῦσαν ποίησιν γενομένην[20]). Unde et Hermeticam artem dixerunt, qui eam post Paracelsum colebant[21]).

Missis autem iis fabellis, historiam ipsam adeamus. Primum omnino testimonium tentatae artis, aurum ex aliis rebus conficiendi, Plinius nobis servavit[22]). Imperatorem Caligulam, quem Caium principem vocat, auri avidissimum, refert magnum pondus iussisse excoqui, et plane fecisse aurum excellens, sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret, quamquam auripigmenti librae X. IV. permutarentur; nec postea tentatum ab ullo fuisse. Ea autem narratio momenti haud parvi instar habet. Quippe discimus inde, spem invitasse pristinos artifices, ex auripigmento metallum pretiosissimum conficere. Id autem singulari quodam errore factum est, cum antiqui mystagogi arsenicum semper praedicarent, tanquam patrem auri. Neque tamen verum arsenicum intellexisse persuasum habeo, sed τὸ ἀῤῥενικὸν, i. e. masculum elementum, quo nomine sulfur appellitabant[23]). Symbolicum autem sermonem adeo invaluisse in scholis prophetarum Aegyptiorum, ut naturalia corpora omnia aliis semper insigniverint nominibus, certum est; ἱερατικὰ γράμματα haec magnopere celebrantur[24]).

Sed multo magis τὴν σελήνην praedicant, quam et hoc signo ☽ notant, antiqui scriptores[25]). Quo hydrargyrum signari exploratum habemus[26]). Sunt autem varia artificia, quibus et se et alios decipere consuerunt, ut crederent, hydrargyrum in aurum mutatum fuisse. Vel enim hydrargyrum muriaticum sublimatum cum borace et cremore tartari mixtum pulverem dabat aureum Constantini, quo alia metalla ipsumque plumbum inauratur[27]). Vel e stanno sulfurato ac cinnabari, aut ex hydrargyro puro, sulfure, stanno puro et sale ammoniaco fusis et destillatis aurum musivum obtinebant, substantiam lamellosam micantem et

---

17) Proclus in Timaeum p. 24. ed. Basil. graec. 18) Galen. contra Iulian. p. 376. ed. Charter. tom. IX. 19) Diodor. Sic. I, 82. 20) Anonym. apud Lambec. bibl. vindob. VI. col. 398. 21) Conring. de hermet. medic. p. 15. 22) Plinius XXXIII, 22. 23) Borrich. Herm. p. 100. 24) Heliodor. aethiop. lib. III. p. 120. IV. p. 148. ed. Coray. Iamblich. de myster. Aegypt. VII. p. 150. 25) Synesius ad Dioscor. in: Fabric. bibl. graec. Vol. VIII. p. 233. 240. 26) du Cange not. chym. p. 8. ad calc. glossar. infim. graec. Vol. II. 27) Wieglebs Untersuch. der Alchymie, p. 338.

auream, in qua stannum acidi muriatici ope calcinatum adest, hydrargyrum vero ad comminuendum stannum adhibetur [28]). Stanno autem opus fuisse, ut auri quaedam species constitueretur, discimus ex Aenea Gazaeo, saeculi quinti extremi auctore [29]). Disertis is verbis ait, sapientes sui temporis, qui in ὕλῃ laborent, adhibere et argentum et stannum, ut inde pulcherrimum aurum conficiant. Quod vero ἄργυρον dicat esse materiem in usum vocandam, errore eo natum esse persuasum habeo, qui a more scriptorum, signo ☽ uti, cum ☾ argentum exprimat, proficisci debebat.

Purpuram mineralem seu Cassii purpuram auream constituisse antiquos artifices inde effici posse videtur, quod de πορφύρᾳ et πυρρῷ φαρμάκῳ saepius sermo sit [30]).

Chrysocollam magnopere ac fere ubique ii scriptores praedicant, quam posset aliquis boracem nativam habere. At falleretur. Etenim Synesius βατράχιον vocat et ἐν τοῖς χλωροῖς λίθοις εὑρίσκεσθαι praecipit [31]). Hinc est viride aeris nativum, quod cum σμαράγδῳ seu Malachite in metallis aerariis laudatissimum inveniebatur [32]). Optima chrysocolla erat armenia, prasino viridissimove colore insignis, secunda pretio macedonica, vilior cypria [33]). Parietes ea saepe induci Vitruvius refert, quique ea propter caritatem uti non possint, herba, quae lutum dicatur (Reseda Luteola) coeruleum inficere, adeoque pigmentum obtinere viridissimum [34]). Hanc chrysocollam artifices quandoque luteam reddere, ut aurum ea agglutinetur ac ferruminetur, Plinius testatur [35]); unde fraudulentum artificium lucem accipit. Namque praeter coloris mutationem avidi homines et rudes nil desiderabant.

Tertio iam saeculo vanas eas artes in Aegypto magnopere invaluisse atque Alexandriae inprimis libros plurimos conscriptos fuisse, in quibus fraudes illae mystico et ἀποῤῥήτῳ modo traderentur, vel inde elucet, quod Diocletianus iusserit, omnes eiusmodi libros comburi, qui chemiam auri argentique doceant [36]). Quod testimonium quamvis Conringius in dubium vocat [37]), fidem tamen et ideo mereri videtur, quod idem Imperator libros improbatae lectionis, magicos nimirum et his similes damnavit [38]).

---

28) Pelletier in: Annales de Chim. XIII. p. 280. 29) Aen. Gaz. Theophr. p. 67. ed. Barth. Ἐπεὶ καὶ παρ' ἡμῖν οἱ περὶ τὴν ὕλην σοφοὶ ἄργυρον καὶ κασσίτερον παραλαβόντες καὶ τὸ εἶδος ἀφανίσαντες, ἐπὶ τὸ σεμνότερον μεταβαλόντες τὴν ὕλην, χρυσὸν κάλλιστον ἐποίησαν. 30) Synesius l. c. 31) Synesius l. c. p. 241. 242. 32) Theophrast. de lapid. c. 26. p. 693. 33) Dioscorides V, 104. 34) Vitruv. VII, 5. 35) Plinius XXXIII, 26. 36) Io. Antiochen. in Constantin. Porphyrogenn. collect. p. 834. ed. Valles. Suid. I. p. 595. v. Διοκλητιανὸς, et Vol. III. p. 669. Χημεία. 37) De hermet. med. p. 24. 38) Cod. Iustin. IX. tit. 18. De malefic. et mathem. l. II, 4. Digest. X. tit. 2. Famil. ercisc. l. 4.

Neque tamen diu valuit haec lex. Namque protinus ut Christianismus altiores radices agere coepisset, ipsis Imperatoribus novae religioni faventibus, et haec *ματαιοτεχνία* nova cepit incrementa, quod propediem uberius exponam.

VI.

DE ARTIS CHEMICAE PRIMORDIIS.

COMMENTARIOLUM ALTERUM, QUO IUV. ORN. CAR. FRID. AUG. GIEBELHAUSEN, FRANKENHUSANI, ET CHRIST. GULIELM. THOELDEN, SCHLEUSINGENSIS, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XI. OCT. MDCCCXXIII HABENDAM INDICIT.

Alchemiam, chemicae artis matrem, Alexandriae agitatam fuisse primis aerae nostrae saeculis, supra praecepimus. Frivoli eius studii caussae potissimum quaerendae esse videntur tum in perditissimo eius aetatis luxu, auri copiam exigente, tum in superstitione docta, sectarum omnium ibi confluentium assensu suffulta atque firmata, tum denique in admiratione magnificorum operum, quae prisca reliquerat antiquitas. Haec stupentes posteri non potuisse aedificari existimarunt sine artis eius occultae, quae pretiosa metalla ex ignobilibus producere gloriatur, adminiculo. Eam artem, ab angelis inventam et mortalibus traditam, haud addisci vulgari modo, sed divino quodam afflatu iis inspirari, qui, stimulis sensuum suppressis, ratione humana sufflaminata, se coelestibus naturis germanos reddant, creditum est ab omnium sectarum asseclis. Sectae eae, etiamsi magnopere diversae vel iudaicam vel christianam vel ethnicam agnoscerent originem, in eo tamen omnes congruerunt ac conspirarunt, ut summam sapientiam statuerent coniunctionem cum ministris aut emissariis Dei, ad quorum naturam evehi possit quicunque precibus assiduis ieiuniisque, castitate etiam ac sanctimonia se dignum eo commercio reddiderit. Ea superstitione omnibus religionibus communi Christianismi et tolerantia *ἀδιαφορία* nascebatur, ut non solum Alexander Severus imperator in larario coleret Orphei, Abrahami Christique statuas [1]), sed ut et Caesares Constantinus Liciniusque anno 313, priusquam ille fidem christianam publice profiteretur, in edicto Mediolanensi omnium religionum, maxime Christianismi, tolerantiam per omne imperium iuberent [2]), quia

---

1) Ael. Lamprid. vit. Sever. p. 131. 136. 2) Eusebius hist. eccl. X, 5.

„summi numinis tot sint nomina, quot gentium linguas esse vo-„luerit" [3]). Quemadmodum iam Hadrianus Serapidis cultores Alexandrinos esse et Christianos fatetur [4]), ita et Celsus perinde esse perhibebat, sive quis Iovem aut Dominum Zebaoth aut Ammonem adoret [5]). Ea tamen *ἀδιοφορία* cum superstitione comite nec severis placuit romanae religionis defensoribus nec orthodoxis christianae fidei propugnatoribus. Hinc iam Septimius Severus libros omnes, qui arcana quaedam haberent, ex omnibus adytis Aegypti collectos abstulit [6]). Et primi imperatores christiani magiam damnabant [7]); Christiani etiam incantationes reiicere se et carmina iactabant [8]), unde et odium Alexandri illius impostoris in Christianos, orgiorum speculatores [9]).

Scriptiones arcanam artem tradentes, mysticis titulis insignitae, occulto modo variisque symbolis et signis compositae, auctorum priscae antiquitatis aut hominum mythicorum etiam nomina gerebant. Ars magna, magnum mysterium [10]), divinum mysterium [11]), *ποίησις* [12]) vocabatur; ipsi processus nomine *πραξέων* veniebant [13]).

Praecepta obliquo modo tradebantur [14]), inde *λοξὰς γραφάς* appellabant. Ita autem scribebantur, ut vulgaribus vocibus sensus alieni atque diversi intelligerentur, ut, quod supra iam monitum fuit, *σελήνης* nomine hydrargyrum, *ἀῤῥενικοῦ* sulfur etc. insigniretur. Philosophica et metaphysica ipsa commenta addebantur, sicut celebratissimum illud Democriti dictum, toties repetitum: *Ἡ φύσις τῇ φύσει τέρπεται, καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ, καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν κρατεῖ* [15]). Eo et pertinere inscriptio coptica saxi cuiusdam prope Memphin videtur, quam latinam Mich. Schatta reddidit: „Coelum deorsum, coelum sursum, astra „sursum, astra deorsum: quod sursum, omne id deorsum: haec „cape et beaberis" [16]). Quae inscriptio fere repetita esse videtur ex Hippocratico illo: *Πάλιν ταῦτα καὶ οὐ ταῦτα. Φάος Ζηνὶ, σκότος Ἅιδῃ, σκότος Ζηνὶ, φάος Ἅιδῃ φοιτᾷ καὶ μετακινεῖται κεῖνα ὧδε καὶ τάδε κεῖσε πάσην ὥρην* [17]).

Signa etiam huc trahenda, quibus metalla et alias res exprimere solebant, quorum praecipua Cangius habet [18]):

---

3) Panegyr. veter. IX, 26. 4) Vopiscus vit. Saturnin. in Script. hist. aug. p. 245. 5) Origenes contra Cels. V, 41. p. 609. 6) Dio Cassius LXXV, 13. 7) Cod. Theodos. XVI. tit. 3. De pagan. sacrif. 8) Origenes contra Cels. I, 6. p. 325. 9) Lucian. Pseudomant. c. 25. 38. 10) Lambec. bibl. vindob. vol. VI. col. 398. 11) Ib. col. 428. 12) Ib. col. 416. 13) Fabricius bibl. graec. vol. XII. p. 767. Lambec. l. c. col. 383. 14) Photius cod. 98. col. 269. 15) Lamb. l. c. col. 387. 16) Borrich. Herm. aegypt. p. 53. 17) Hippocrates de diaet. I. p. 342. 18) Glossar. med. et infim. graec. vol. II. col. 8. app.

🜚	χρυσός	☾	ἄργυρος
☽	ὑδράργυρος	♀	χαλκός
☿	κασσίτερος	♄	μόλιβδος
♉	θεῖον	⊖∃	σίδηρος
⋖	ἀρσενικόν	♅	γῆ
⊙	κιννάβαρις	🜄	ὕδωρ

etc.

Ipsi scriptores vocabantur *ποιηταὶ* [19]), *οἰκουμενικοὶ φιλόσοφοι* [20]), *ὑπουργοὶ καὶ οἰκονόμοι Θεοῦ* [21]). Quibus honorificentissimis appellationibus semet invicem cumularunt, ut et nomina antiquissimorum mythicorumque hominum sibi arrogarent, quod iam supra monitum est.

Plerique autem auctores chemici, quorum scripta supersunt, quinto aerae nostrae saeculo floruerunt. Principes fere sunt Synesius, Zosimus et Olympiodorus.

Synesius, cuius epistola ad Dioscorum, sacerdotem Serapidis, exstat, idem habetur cum episcopo ille Ptolemaidos, quae Libyae Cyrenaicae metropolis fuit [22]). Cyrene natus, Alexandriae iuventutem transegit, Hypatiae philosophiae magistrae assidens. Facundiam iuxta ac doctrinam civibus suis adeo probavit, ut legatum mitterent ad Arcadium imperatorem. Redux baptismum, suadente Theophilo archiepiscopo Alexandrino, suscepit, mox etiam, licet invitus, episcopi munus, quamquam nec uxorem dimittere, nec resurrectionem corporis futuram sibi persuadere vellet [23]). Varia eius scripta, epistolas, carmina christiana, encomium calvitii etc. collecta edidit Dion. Petavius Parisiis 1631. et 1640. fol. Superest vero epistola illa, a Fabricio bibliothecae graecae (vol. VIII. p. 233 sq.) inserta, quae chemica praecepta continet. Orditur autem a Democriti libello, spurio quidem, sed quem serio Abderiti illi, Hippocratis aequali, tribuit. Fuisse eum Ostanis magni discipulum, a quo Democritus in templo Memphitico initiatus fuerit.

De Ostane aut Osthane testimonium Plinii adest [24]). Xerxis regis Persarum comitem fuisse, cum is Graeciae bellum intulerit, de Magia primum commentatum esse. Nec deesse secundum Osthanem, qui Alexandri M. temporibus haud levem addiderit professioni artis occultae auctoritatem, comitatu regis magni ornatus. Eius Osthanis libellus de mysterio magno etiamnum exstat [25]).

Synesius, Democriti libellum spurium expositurus, incipit a primo praecepto, *τὸ πόντιον ῥά* esse colligendum. Est autem

---

19) Photius cod. 80. col. 177. Reinesius var. lect. p. 154. 155. 20) Lambec. l. c. col. 398. 21) Ib. col. 428. 22) Lamb. l. c. col. 395. 23) Fabricius bibl. graec. vol. VIII. p. 221. 24) Plinius XXX, 2. Hostanem vocat Tertullianus de anima, c. 57. 25) Lambec. l. c. col. 383.

Rheum Rhaponticum, secundum Dioscoridis descriptionem[26]), nomen gerens a fluvio Rha (Volga), ad cuius ripas habitare innotuerat[27]). At symbolice esse sumendum hoc praeceptum, e Synesii patet verbis: sicut enim Rha fluvius in πόντον (mare caspium)[28]) effluat et ab hoc suscipiatur ac deglutiatur, ita esse materiem solvendam atque ab aqua seu vehiculo fluido penitus suscipiendam.

Deinde σελήνην e cinnabari elicit et e chrysocolla, ut sulfur inde educat. Sulfur enim cinnabari adhaerens, cupro magis affine quam hydrargyro, iungitur cum chrysocolla seu viridi aeris, (cupro nimirum oxydato cum argilla et calce unito), atque constituit aes ustum vel cuprum sulfuratum nigrescens. Hinc de ἀχλυώσει, seu denigratione loquitur mysta. Addit, ξάνθωσιν esse ἀναζωπύρωσιν: videtur ergo sulfur ignis vi secessisse in acidum sulfuricum, cuius ope hydrargyrum cinnabaris abiit in turpethum minerale, seu hydrargyrum praecipitatum flavum.

Tum addit, sumendam esse aquam calcis vivae (ἄσβεστον) et faecis (φέκλης) et cinerum brassicae et salis ammoniaci, solvendum esse crocum cilicium, i. e. flavum illum pulverem, ac miscendum cum his rebus. Unde proficiscitur, poëtam Constantini pulverem aureum confecisse. Hydrargyrum enim sulfuricum aqua calcis praecipitatur e solutione, ut pro maiori aut minori oxydationis gradu citreum vel aurantiacum pulverem sistat, qui croci cilicii nomine insignitus fuisse videtur. Addito sale ammoniaco soluto, nascitur album praecipitatum, quod acidum salis magis affine est hydrargyro quam acidum sulfuricum. Triplex est sal, cui si admiscetur kali e cineribus, seu potassa, et aqua faecis, seu tartarus, novum oritur connubium, acidi tartari nimirum cum hydrargyro et acidi salis cum tartaro. Ergo taedioso eo modo constituit artifex Constantini pulverem aureum, quem nos multo faciliori modo facimus ex hydrargyro sublimato et tartaro tartarisato. *Αὕτη ἡ ὕλη τῆς χρυσοποιΐας. Ταῦτά εἰσι τὰ μεταλλοιοῦντα τὴν ὕλην, καὶ μεταλλεύοντα καὶ πυρίμαχα ποιοῦντα. Ἐκτὸς γὰρ τούτων οὐδέν ἐστιν ἀσφαλές. Ἐὰν οὖν ἧς νοήμων καὶ ποιήσῃς ὡς γέγραπται, ἔσῃ μακάριος.* Quibus verbis additis summe probabilem reddit coniecturam, contentos fuisse artifices χρυσοποιοὺς eius aevi pulvere eo aureo, quo inferioribus metallis, ut plumbo, possent auri colorem speciemque largiri.

Dein praecipit ἐκστρέφειν huius corporis arte facti naturam, quod ita sumendum esse arbitror, ut restituantur partes pulverem Constantini aureum facientes. Poscit autem chiam terram et asteriten et cadmiam albam. Terra chia est argilla candida, terrae samiae simillima; huius vero species quaedam ἀστήρ Dio-

26) Lib. III, 2. 27) Ammian. Marcell. XXII, 8. 28) Mare caspium quoque appellari πόντον a Theophrasto, alio loco docui. (Theophrast's Naturgesch. der Gewächse, II. p. 142.)

scoridi dicta [29]), asterites Synesii esse videtur. Cadmia alba est zinci oxydum nativum, quod e fuligine caminorum etiam parabatur [30]). Hinc igitur cum pulvere et nova hydrargyri copia mixta cucurbitulae (*βοταρίῳ*) immittit, cui excipulum vitreum (*ὑάλινον ὄργανον μασταριόν*) iungit, ac per triduum leni igne, in balneo cinerum calidorum (*ἐπὶ θερμοσποδιᾶς πραείας*) digerit, donec aqua sulfurina in excipulum abierit, quae vocatur et *ὄξος* et *οἶνος Ἀμηνέος καὶ τὰ ὅμοια*. In eo praecepto quamvis plura occulta sint, ita tamen processus is exponendus esse videtur, ut terrae sali mercuriali additae secedere iubeant acidum tartari, sicut et hodie acidum tartarosum e tartaro depurato ope cretae prolicitur. Id acidum fermentationem patitur, qua nascitur acetum (*ὄξος*): hinc *σῆψιν* disertis verbis Synesius indicat. Cur cadmiam addiderit albam, haud satis liquet, ni forte id consilii fuerit, hydrargyrum ope zinci regulina forma praecipitare ac cum eodem metallo ope fusionis lentae amalgama constituere.

Quae denique sequuntur, *λελοξουμένως εἰρημένα* ab ipso Synesio vocantur, ideoque intellectu difficillima sunt. Magnesiam et chrysocollam iubet adhiberi et cum hydrargyro coniungi. Equidem *τὴν μαγνησίαν* (*λίθον*) a magnete lapide haud diversam putans, quia nusquam in antiquis alium significatum invenio, de connubio hydrargyri cum ferro sermonem esse autumo. Id autem connubium aliter fieri nequit, quam cupri adminiculo, unde et ferrea vasa deaurari nequeunt, nisi cuprum adhibueris. Quibus positis intelligitur, chrysocollam seu viride aeris necessarium fuisse, ut ea coniunctio hydrargyri cum magnete efficeretur.

VIII.

DE ARTIS CHEMICAE PRIMORDIIS.

COMMENTARIOLUM TERTIUM, QUO IUV. ORN. FRANC. GUL. SCHWEIGGER-SEIDEL, LEUCOPETRA-SAXONIS, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XVI. IUNII MDCCCXXIV. HABENDAM INDICIT.

De Synesio nuper egimus. Sequitur aetate futilis libellus, quem, Kyrano cuidam aut Kyranidi, regi nescio cui Persarum, inscii tribuunt homines. Graece scriptus fuit is liber, quem primus fere allegat Olympiodorus Thebanus, *ποιητὴς τὸ ἐπιτήδευμα*

29) Dioscorides V, 172. 30) Dioscorides V, 84.

Photio dictus[1]). Verba Olympiodori, quibus *τὴν Κυρανίδα* citat, e codice manuscripto servavit Reinesius[2]). Graecus textus haud exstat, sed latino-barbara interpretatio, quam iam Matthaeus Sylvāticus et Valescus de Taranta legerunt, quaeque ideo saec. XII. aut XIII. iam confecta fuisse videtur. Probabile est, Gerardum Cremonensem, medicorum Graecorum plurimorum interpretem, etiam hunc libellum vertisse. Obiit autem Gerardus anno 1187[3]). Nomen libelli *Κυρανίς*, quod ad auctorem male traductum, nequaquam ex arabico قران repetendum est, cum ipse auctor dicat: *κυρανίδες εἴρηνται, διὰ τὸ τῶν ἄλλων μου γραφῶν βίβλων βασιλίδες ταύτας εἶναι*[4]). Latinam interpretationem edidit Lipsiae 1638 quidam conficto nomine Rhyakinus. Insanus ille liber praeter portentosa mendacia, fabulas aniles nugasque absurdas paucula continet, quae antiquarios in explicandis veterum magorum vanitatibus et superstitiosis curationibus per sigilla sculpta, characteres, phylacteria et amuleta, aliquid saltem adiuvent, ut risui et contemtui eam frivolam farraginem committere satius ducam.

Scripta sequentium auctorum fere in bibliothecis latent. Sunt autem ordine aetatis, qui prae aliis citantur:

Sextus Africanus, quem Photius perperam[5]) eumdem cum Iulio Africano habet, Iatrosophista, qui *κεστῶν* (seu *φαντασιωδῶν ἐνδυμάτων*) libros novem, si Eusebio, viginti quatuor, si Suidae fides habenda, conscripsit[6]). Addidit multa praecepta medica, physica, georgica et chemica, quae Zosimus citat[7]).

Heliodorus quoque, auctor dramatis amatorii de Theagene et Chariclea, scripsit ad Theodosium Imperatorem *περὶ τῆς τῶν φιλοσόφων μυστικῆς τέχνης* iambos[8]). Natus Emesae in Phoenicia, episcopus Triccae in Thessalia fuit, familiariter usus Synesio, quod ex huius epistolis elucet[9]).

Sequitur Zosimus, quem Alexandrinum philosophum manifesto Suidas vocat. Eum Reinesius eumdem habet cum historiarum scriptore, Comite et *ἀποφισκοσυνηγόρῳ*, Theodosio iun. imper.[10]) Fabricius ipse coniectura consequitur, eumdem fuisse, qui cum Pelagio a Zenone Isaurio interfectus sit[11]). Uterque autem vir doctus magnopere hallucinatus est. Etenim historiarum scriptor Christianam religionem pertinacissimo prosecutus odio, quam maxime alienus fuit a mysteriis Christianismi. Noster vero non solum visionem propheticam Ezechielis de arefactis dispersisque defunctorum corporum ossibus ad scriptum suum de fornaci-

---

1) Photius cod. 80. col. 177. 2) Var. lection. p. 7. 3) Geschichte der Arzneyk. Th. II. p. 528. ed. 3. 4) Iriarte bibl. Matrit. cod. graec. p. 432. 5) Cod. 34. 6) Scaliger ad Eusebii chronic. p. 212. 263. 7) Reinesius var. lect. p. 352. 8) Lambec. bibl. vindob. lib. VI. col. 429. 9) Synesius epist. p. 175. 256. ed. Petav. 10) Fabricius bibl. graec. Vol. XII. p. 753. 11) Ibid. p. 778.

bus chemicis retulit, sed multa etiam habet de verbo Dei incarnato et passione crudeli, quae ab ethnico Christianismi inimico haudquaquam exspectaveris. Accedit, Zosimum nostrum *τοὺς σοφοὺς τῶν Ἰσμαηλιτῶν* frequenter citare, et varias voces persicas arabicasque proferre, e. g. *βελιλέγ* (بليلج, myrobalani), *χάλκ* (حلقة, annulus signatorius regis), *τάλκ* (طلق, talcum), *θένακαρ* (تنكار, chrysocolla), *ναθήφ* (نظيف, purus, mundus), *ζονθία* (صنت, cistula ad reponendos dactylos). Cum autem ante septimum saeculum Arabes nec studiis dediti essent nec cum Graecis commercium haberent, multo posterior noster est. Ob eamdem rationem nec Fabricii coniectura plausibus digna est. Namque Zosimus, quem Zeno Isaurius interfecit, Gazaeus fuit rhetor [12]), idem, qui, Suida teste, lexicon historicum et commentaria in Dioscoridem et Lysiam conscripsit.

Nostri vero princeps opus est *περὶ τῆς Ἰμοὺθ πρὸς θεοσέβειαν ἀδελφήν*; eum chemicum librum alphabetico ordine scriptum libris XXVIII memorat Suidas. Titulus *Ἰμούθ* antiqui aliquid habet. *Μοῦθ* enim Chaos Phoenicum [13]), postea ad Isidem Aegyptiorum traducebatur, ut et Plutarchus *Μούθ* eamdem habeat ac Isidem [14]). Ipse quoque Aesculapius Phoenicum, ab Iside doctus, Imuthes appellabatur [15]). Artem ipsam aurum conficiendi vocat *ἀμμοπλυσίαν*, naturalem illam auri ex arenis lotionem, seu *φυσικὴν ψαμμουργικὴν βασιλέων*. Namque non sibi, sed regibus Aegypti antiquissimos philosophos aurum confecisse, unde et capitis damnatos esse, si mysteria promulgarent, quam fabulam et Olympiodorus repetit [16]). Hinc et iusiurandum celebre exponunt, quod praestare debebant poëtae, cuius initium, si Christiani essent, hoc fuit: *Ὁρκίζω σε, καλὲ παῖ, εἰς μακαρίαν καὶ σεβαστὴν τριάδα — τὸ ἅγιον μὴ ἀποῤῥίπτειν κυσί.* Ethnicis vero id sacramentum aliis verbis imponebatur: *Ὁρκίζω εἰς οὐρανὸν, γῆν, φῶς καὶ σκότος, ὁρκίζω εἰς πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ ἀέρα καὶ γῆν, εἰς Ἕρμην τε καὶ Ἄνουβιν — μηδενὶ μεταδιδῶναι, εἰ μὴ μόνον τέκνῳ καὶ φίλῳ γνησίῳ.* E Zosimo quoque repetitur praeceptum: *Εἰ μὴ τὰ σώματα ἀσωματώσῃς καὶ ποιήσῃς τὰ δύο ἕν, οὐδὲν ἂν τῶν προσδοκωμένων ἔσται. Χειρόκμητα ἐπιγράφεσθαι* Zosimi praecepta Suidas docet, quod manu sua instituta experimenta peculiari sigillo insigniverat [17]).

Similis ac in Zosimo, nominum confusio obvia est in Olympiodoro, quem Photius Thebanum dicit et *ποιητὴν τὸ ἐπιτή-*

---

12) Cedren. hist. p. 354. ed. Paris. 1647. 13) Euseb. praepar. evang. p. 33. 14) Plutarch. de Is. et Osir. p. 531. 15) Stobaeus ecl. I. p. 932. 1092. ed. Heeren. Theophilus ad Antolycum lib. II. p. 85. ed. Paris. 1636. fol. Apollonidem citat, *ὅς καὶ Ὁράπιος ἐπικληθεὶς, ἐν βίβλῳ τῇ ἐπιγραφομένῃ Σεμνουθί:* quasi sit *σεμνὴ ἡ Μούθ*. 16) Borrich. Herm. p. 50. 17) Salmas. exercit. Plinian. p. 775.

δευμα [18]). Iter suscepisse eum ultra Nili catarrhactas, ad Philas et Primam urbem et ipsos Blemmyas, fertur [19]). Alium tamen puto Alexandrinum illum philosophum, Procli magistrum, cuius *εὐρὺ τὸ κλέος* praedicat Suidas. Alium quoque Zosimi historici familiarem, qui historiam eius ad annum usque 425 continuatam Theodosio iuniori dicavit.

Pelagius, cuius commentariolum *περὶ τῆς θείας ταύτης καὶ ἱερᾶς τέχνης* Lambecius citat [20]), latine interpretatus est Dom. Pizimentus (Patav. 1573) [21]), fueritne idem Patricius, quem Zeno Isaurius interfecit, nescio.

Nec de Stephano Alexandrino, oecumenico philosopho, plura dicere habeo, quam quae Lambecius [22]): vixisse nimirum Heraclio imperatore, saeculo utique septimo.

Saeculo septimo demum ad Arabas transiit ars chemica. Cum enim Chalifa Omarus, Alexandria expugnata (640), totam Aegyptum dominationi suae adiecisset, victores mox a Graecis et artem medicam et chemicam acceperunt, opem ferentibus Iudaeis aut Syris. Primum fere eius exemplum est Aharonis, sacerdotis Alexandrini, saeculo VII. florentis opus, Pandectae medicae, quod Iudaeus Bassorensis Maserjawaihus Gialgialis filius e graeco sermone in syriacum transtulit [23]).

Primus autem auctor chemicus e gente Arabum vocatur Dschafar al Zadek (جعفر الصادق), filius Muhammed, e gente Abu Bekr Chalifae [24]). Natus is anno Hedjrae 80 (702 aerae nostrae) diem obiit supremum Medinae anno Hedjrae 148 (770 aerae nostrae). Celebres fuerunt eius libri de Chimia (الكيميا), de auguriis (زاجر) et de sortilegiis (فال).

Ne hic confundatur cum posteriori Giaber, filio Hajan (جابر بن حيان), magni nominis chemico [25]). Herbelotus tradit, natum fuisse Harrani Mesopotamiae, vixisse saeculo medio tertio Hedjrae (saec. IX. X. aerae nostrae), librosque eius de chimia et lapide philosophorum, etiamsi summis laudibus extollantur, haud tamen lectos fuisse a chemicis [26]).

Uter vero sit auctor librorum, quos Geberi nomine circumferunt, media iam aetate dubium erat. Namque cum Aldemarus Parisiensis a filia Muhammedis prophetae gentem Geberi deducit, Dschafarum priorem intelligit [27]); quem ipsum in libro de regno patrem nominare Baldechitarum principem. Nihilominus Braceschius alia patris nomina affert, et Harem etiam, iuxta Ali phi-

18) Cod. 80. col. 177. 19) Reines. l. c. p. 155. 20) Bibl. vindob. lib. VI. col. 382. 21) Redit idem commentariolus in editione Democriti de rebus sacris. Norimb. 1717. 8. 22) L. c. col. 380. 23) Abulfarag. hist. dyn. p. 158. 198. 24) Abulfed. Vol. II. p. 22. 25) Casiri biblioth. escurial. I. p. 441. 26) Biblioth. orient. p. 357. 27) Braceschi in: Grataroli corp. chem. p. 33.

losophi sententiam, quod ad patriam potius, Harran Mesopotamiae provinciam, transferendum.

Quanam ratione libri illi ad nos usque pervenerint, alta latet caligine. Nescimus, gemini sint Dschafar aut Dschaber commentarii, an addiderint et quaenam auctores seriores, quando Christianis innotuerint, ac quis eos interpretatus sit. Propterea nescii etiam sumus, quaenam inventa alterutri sint tribuenda.

VIIII.

DE SUPERSTITIONE,

INPRIMIS DOCTA AC MEDICA. PROLUSIO, QUA IUV. ORN. MAURITII SCHOTTE, SCHRAPLAVIENSIS, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XVII. AUG. MDCCCXXIV HABENDAM INDICIT.

Superstitionis nomen, antiquis Romanis satis celebratum, a Cicerone [N. D. II, 28.] derivatur ex assiduis immolationibus precibusque per totum diem continuatis, ut liberi superstites sint. Quae quidem expositio quam ludicra sit, Lactantius [IV, 28.] docet, meliorem eam substituens, quae a memoria defunctorum superstite culta, ab imaginibus mortuorum hominum aut cineribus ossibusque superstitibus honoratis et numinis summi loco imploratis originem petit. Graeci vocabant δεισιδαιμονίαν*), continuum daemonum nocentium cultum, qualem in rudibus populis omnibus deprehendes. Namque, ne nos neca, sunt preces, quas Tatari aliaeve gentes ab animi cultu rudes quotidie fundunt. Superstitionem dicimus animi imbecillitatem, ut nexum credat rerum, quae nullum habent. Cum vero cognito rerum nexu nascatur ratio, rationi adversam esse superstitionem, exploratum habemus. Itaque, si nexus naturalium phaenomenorum nullus perspicitur, ob innatam humanae menti necessitatem, nexum qualemcunque caussalem investigandi fingendique, mens arbitrio comminiscitur nexum, rudi ingenio analogum. Idoneum autem est scientiae defectui atque φιλαυτία, humanas vires credere praestantissimas, unde et naturae efficacia cum humanis viribus comparata daemonibus tribuitur, humanae speciei analogis, humanoque more cogitantibus, irascentibus et agentibus. Religio vera, cum superstitione toties commutata, ab ea longe est aliena eique vere adversa. Namque praeceptum Creatoris divini: Quisquis adoraverit Deum, spiritu et veritate eum adorare debere, et Apostoli dictum: Religionem esse rationalem cultum, obstringit nos, spernere superstiones ani-

---

*) [Scripsit Plutarchus librum adversus superstitionem lectu dignissimum, ut ostendatur superstitiosos gravius errare quam atheos, et quod peius de diis sentiant, et quod pessime de se ipsi mereantur. R.]

les et fabulas traductas ad similitudinem imbecillitatis humanae. Religionis est christianae, Deum venerari et amare, patrem generis humani propitium, haud iracundum aut zelotypum, sed immutabilem, aeternis legibus a se conditis universitatem rerum gubernantem ac regentem, eoque modo imperio naturae morumque moderantem, ut iis, qui eum ament, omnia emolumento veroque usui inserviant. Superstitionis est, Deum sibi fingere tyrannum, qui naturae turbas, morbos, bella et calamitates publicas ac privatas tanquam poenas generi humano infligat; qui ipse omnibus providere rebus nequeat, egeat igitur ministris seu legatis, daemonibus nimirum bonis malisve, humano more et cogitantibus et agentibus. Superstitionis est, aeternas a creatore conditas leges viresque naturae cum his commutare daemonibus, consortionem statuere et amicitiam hominum piorum cum his providentiae divinae ministris, quos igitur adorare, venerari atque adeo carminibus, precibus et incantationibus propitios sibi reddere fas sit, ut naturae leges vincantur et pervertantur. Superstitionis est, negligere naturae leges, atque phaenomena, quae fortuito iuncta sunt, reipsa caussali nexu iungere: hinc preces religiosi hominis credere posse naturae leges infringere, mortuorum animas posse spectra esse; animo humano, maxime cum ad daemonum naturam et dignitatem evectus fuerit, tribuere vim, in remotissima agere loca, eaque solo arbitrio firmissimaque voluntate producere, quae a physicis legibus aliena aut iis adversa sunt, futura etiam, quae fortuita sunt, praedicere et morbos solo nutu curare.

Non rudium solummodo hominum, sed doctrinae cultu etiam insignium est vitium superstitio. Fingitur enim proclivitate in admirationem et mirabilium rerum desiderio; neque barbariem saeculi notat, sed corruptam doctrinae indolem. Doctam voco superstitionem, quae disiecta eius apud rudes homines populosque membra coniungit, ac hactenus adaptat, efformat decoratque, ut doctrinae speciem prae se ferant. Doctam voco superstitionem, quae ab Alexandrinis inventa, omnium pristinarum gentium commenta, Iudaeorum, Persarum, sectarum denique christianarum cum Platonis male intellectis aut depravatis dogmatibus confunderet atque in unum corpus coniiceret. Eius, labis dicam an pestis, vestigia et nostra aetate obvia sunt. Namque etiamsi rerum naturalium caussae nostra aetate multo melius notae sunt, quanquam rudiora commenta de daemonum efficacia atque sagarum potestate irrideantur, praestantissima tamen doctrina de imponderabilium substantiarum natura rationibusque ipsi superstitioni ansam praebuit. Ecquis enim nescit, haud deesse nostris temporibus, qui credant, voluntate hominis posse mirabiles produci naturae mutationes, in remotissima loca agi, futura posse praesagiri, vaticinandi etiam id donum cum aliis posse communicari? Taceo varias narrationes de cognitionum excitatione in somnambulis, quarum nulla prorsus antea informatio in hominibus fuerat. Taceo spectrorum defensionem, a Jungio tentatam, e lumine

illo phosphorico s. coeruleo, quod somnambuli videre dicuntur quodque animae habetur vehiculum. Taceo rhabdomantiam iterum resuscitatam atque ex incredibili omninoque explorato somnambulorum sensu acutissimo erga metalla expositam. Taceo denique Gassneri artificia et daemonum expulsiones, quae iterum nostris temporibus a Spindlero exponuntur; Ennemoseri etiam et Meyeri nugas religiosas de miraculis antiquitatis huc trahendis atque vel hodieque per sacrorum bibliorum verba dictaque efficiendis. Inscium vulgus solet, ut mirabilia naturae phaenomena videt, quae vulgarem haud admittunt explicationem, protinus clamare cum Shakspearii Hamleto: Plurima sunt in terra coeloque, quae ne somniavit quidem nostra philosophia. Est id commune segnitiei ac inscitiae asylum, ad quod refugiunt, qui vel voluntate carent vel aptitudine, rerum naturam perscrutari atque phaenomena, quae ipsis offeruntur, rite ac integra mente examinare. Nolumus tamen tantam turpitudinis notam inurere medicis nostrae aetatis, ut ex hac inscitia ac inertia superstitiones eorum nasci perhibeamus. Verius multo est, honestiores esse eorum errorum origines. Quaerendae autem videntur primum in philosophandi ratione, qua in Germania utuntur, qui naturales se dicunt philosophos. Haec quidem apta videtur ac idonea, arcana naturae adyta revelare, quoniam, reiecta differentia materiei et vis, utramque habet formam vitae omnia gubernantis; quoniam corpuscularem philosophiam, seu ex atomorum ratione petitam expositionem, respuit, dynamica sic dicta substituta. Neque tamen eo minus abusum insignem admittit, si materiei indoles plane negligitur: fertilissima est hypothesium ac commentorum sibi contrariorum mater, quae superbientes asseclae abstruso sermone barbaroque pronunciant, ut possit nostra facile aetas cum saeculo decimo sexto aut septimo comparari, dum nonnullos eiusmodi commentarios legeris. Accedit, excoli hanc doctrinam potissimum a iuvenibus, fervido quidem ingenio praeditis, a rerum usu tamen et observandi studio alienis. Hi, ut famam sibi pariant, nihil habent antiquius, quam paradoxa pronunciare, mirabilia praecipere, irridere denique optimo cuivis, qui naturae investigationem legibus certis adstringit. Alteram quaero caussam in doctrina de imponderabilibus substantiis, optime quidem stabilitam variaque naturae phaenomena egregie illustrantem, neque tamen eo minus hypothesibus abundantem, quas experientia vel iam refutavit, vel valde dubias tamen reddit. Probabilis est coniectura, substantias eas haudquaquam legibus physicis vulgaribus aut chemicis obtemperare, sed efficientias esse puras, spirituum atque animarum aemulas. Quodsi his immoramur, necesse est, proxime accedamus ad opinationes eas, quae a spiritibus regi corpora, atque voluntatem humanam, si modo pura sit, integre et fortissime agat, miracula posse exhibere tradunt. Neque tamen eo minus tota haecce doctrina tantum abest, ut omnibus partibus sit absoluta, ut innumeris potius scateat lacunis. Rationes autem,

quibus convelluntur haec commenta, videntur esse sequentes: Voluntatis imperium etiamsi maximum est in corpore proprio, ut et sensus possit exstinguere hominemque durare ad dolores, cruciatus summumque supplicium aequo animo ferendum, nihil tamen nos cogit, ut potestatem eius corpus proprium transgredi et in alia abire corpora credamus. Etenim necessarium esset, dum voluntas, sui corporis terminos transsiliens, in alieno corpore potentiam suam exserit, dispendium ingens virium artifex sentiret. Quod quidem licet nonnulli queruntur, plures tamen novimus, qui, postquam diutius magnetico modo pertractaverint aegrum, nullo modo infirmatas percipiunt vires. Qui sentiunt, musculorum artuumque vim sine dubio nimis exercuerunt, unde et sudare et contremiscere vidimus artifices, quasi laboribus fatigati essent. Equidem vero non nego, fidem artificis firmamque voluntatem plurimum posse ad excitanda phaenomena magnetica, neque tamen id proficisci arbitror e μετεμψυχώσεως quadam specie, sed ex imaginatione pertractandi hominis magnopere excitata, dum artificem cernit, solemni quodam ardore et insigni voluntatis intentione operantem: spes et exspectatio cum fiducia crescunt, maxime dum, quod vulgare est, debiles sunt mulierculae, imaginationis excessui subiectae. Meminimus enim, homines eodem temporis articulo mortem subire, quo mortem sibi ipsi praesagiverant, vel alii ipsis nunciaverant. Tali modo evanescit miraculum, rationi ius suum vindicatur.

IX.

DE DOCTRINA HOMOEOPATHICA.

PROLUSIO I. QUA IUV. ORN. LUDOVICI NICOLAI HACHMANN ET CAROLI NICOLAI FALLATI, UTRIUSQUE HAMBURGENSIS, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XXIV. AUG. MDCCCXXIV HABENDAM INDICIT.

Saepius animadversum est, et doctissimos viros, qui cum literarum disciplina ornatissimi tum rerum usu essent conspicui, cum vulgi favorem captare, sua potius commoda augere, quam aegrorum salutem gestirent, a veri, recti adeoque honesti tramite devios et se et alios decipere, ut pateat, mendaciis inservire futilibusque erroribus, qui nati omnino ad amplificandam literarum doctrinam atque ad aegrotorum incolumitatem viderentur. Ut venia utar, quam gens mea, Pomerana nimirum, aperte citraque ambages loquendi more facile impetrat, cadere haec videntur inprimis in H a h n e m a n n i novam de h o m o e o p a t h i c a m e d i c i n a doctrinam, quam rationis trutina et scientiae pensare hucusque vetuere

alia negotia. Cum vero nuper id officii mei esse duxerim, quippe qui historiam artis nostrae et ad recentissima usque tempora persequi debeam, nec alienum ab huius celebritatis instituto nec lectorum attentione indignum esse existimo examen eius doctrinae ac medelae, maxime cum utraque apud nos tanta percrebuerit fama, ut in omnium ore sit, pluresque aegroti unicam exspectent ab hac methodo salutem. Neque invidiae aut simultatis vitium excusatione deprecari meum est, utpote qui omnibus notus sim veri amore potius quam partium studio.

Est autem id primum fere Hahnemanni praeceptum, plerosque morbos e ratione virium alienata aut dynamico modo nasci, neque, si humores corrumpantur, ex horum reactione in partes solidas vivasque damni quicquam oriri. Palmarium hoc ac princeps praeceptum aliis stipatum est commentis, quae inde fluunt. Quippe pleraque symptomata morborum initio complecti rationem virium turbatam; quemlibet etiam morbum constitui symptomatum syndrome, quae protinus ut tollantur, auferri etiam morbum. Quibus accedit doctrina de medicaminum actione mere dynamica, quae e simili morborum indole proficiscitur. Haec praecepta omnia secum nexa si accuratius ventilantur, veritas quidem dynamicae morborum indolis emergit, cui vero adversaria neutiquam est humorum pravorum reactio in partes solidas, siquidem nec in sordibus gastricis vulgaribus, nec in puris collectione, nec in plethora, nec in ingenti aliarum aegritudinum caterva humorum efficacia in mutandis partibus solidis reiicienda est. Quae cum trivialia sint, notissima etiam docto illius theoriae auctori esse debebant, de industria tamen ac cogitate ea ignorare voluit, ut stabilire posset ac firmare princeps praeceptum, tolli nimirum morbos infinita prope medicaminis exiguitate, qua similis affectus cieatur. Id vero cum in ulterioribus uberius examinandum sit, addamus, symptomatum syndromen constituere quidem τὸ πάϑος seu p a s s i o n e m, neutiquam vero m o r b u m ipsum, quippe qui status est internus, quo functiones laeduntur, neque sublatis symptomatibus illico tolli morbum. Etenim quid vulgatius, quam atonia est viscerum digestioni inservientium diuturna, e qua existunt tum spastici affectus, tum articulorum dolores, tum haemorrhoïdum aegritudo, tum calculi etiam viarum urinariarum? Affectus ii singuli tolli omnino possunt, superstite tamen morbo ipso: ut et in syphilide et scorbuto modo haec modo alia nascuntur phaenomena arti cedentia, quae vero morbo ipsi debellando par haudquaquam est. Super haec impingimur etiam caussarum neglectu, quas alia nostrae aetatis secta, quae a B r o w n i o nomen habet, solas respiciens, symptomata fere perinde habuit. Caussarum autem aestimatio saepissime morbum solvit, nisi persuadere nobis vult Hahnemannus, sanis quidem considerandum esse, quod coelum, quod anni sit tempus; aegris vero non esse, quibus tanto magis omnis observatio necessaria est, quanto magis obnoxia offensis infirmitas est. Hinc veteres empiricos recentioresque

sequens, nihil interesse dicit, quid morbum faciat, sed quid tollat, neque ad rem pertinere, quomodo, sed quid optime digeratur. Itaque labascit hoc doctrinae fundamentum, rationi adversum et experientiae.

Alterum est et notatu dignissimum quidem praeceptum, corpus nempe animale multo magis ac vehementius artificialibus affici medicaminum stimulis quam naturalibus morborum. Dispicere autem mihi videor caussam, cur id in medio posuerit praeceptum, quippe, si nimia gaudet corpus animale proclivitate ad medicaminum efficaciam, multo minore vero ad caussarum morbosarum actionem, quid facilius est, quam exigua illorum portione hanc supprimere ac penitus amovere? At vero desunt argumenta e ratione petita observationibusque, quale quodvis ratiocinium probe stabiliendum poscit. Etenim medicamina saepe ex ipsarum rerum classe promuntur, quae morborum caussas exhibent, aëris exemplo et venenorum, unde nullum esse discrimen verum patet. Dein summam saepe animadvertimus propensionem corporis ad morborum efficaciam, maxime dum populariter grassantur aut dum contagio propagantur. Ecquis enim negaverit, popularibus eiusmodi constitutionibus adeo ingentem produci proclivitatem, ut contagii infinite exigua molecula cladem diram trucemque adducat corporis ruinam? Ecquis ignorat, tenerrimas feminas sensu pollere acutissimo eo, ut, si levissime etiam perfrixerint aut animus perturbatus fuerit, gravissimus inde morbus saepe nascatur? Ergo et hoc corruit doctrinae fundamentum, rationi adversum et experientiae.

Tertium praeceptum unitatem exprimit affectuum: quippe corpus humanum dicitur semel unam tantum eamdemque dynamicam capere posse affectionem, quae simulac altera accedit, vel in hanc abit, priore silente ac prorsus cessante, vel dum posterior nimis diu moratur, cum eadem confusa complicationem producit. Repetitum id dogma est ex antiquata fere doctrina Browniana, quae diu iam uno eodemque modo posse solummodo corpus affici statuerat. Necessaria autem Hahnemanno ea propositio erat, quod unico remedio, eodemque in infinite exigua portione propinato profligare se posse plerosque morbos gloriatur. Refragari vero et hoc praeceptum tum rationi tum experientiae, iamdudum contra Brownii asseclas monitum fuit. Siquidem et simplices morbi varias organorum compages vario ac diverso plane modo mutant, ita ut vel febris continens simplicissima vasorum sanguiferorum vim nervorumque vehementer sollicitet, sufflaminata fere facultate digerendi secernendique. Sic et inflammationem viscerum vulgarem comitantur saepe musculorum spasmi, nervorum resolutiones aliaque phaenomena diversae satis indolis, quae haudquaquam eodem modo semper universum corpus affici probant. Quanta denique est affectionum diversitas ex eodem morbo diuturno, arthritide puta aut syphilide, scorbuto etiam manantium! Itaque nec hoc praeceptum solido nititur fundamento.

Sed properandum est ad quartum praeceptum, quod e prioribus fluit. Silere morbum ac penitus tolli protinus, ut similis existit, propterea quod duae affectiones simul adesse in corpore nequeant. Id quidem quadantenus cum experientia congruere videtur, siquidem ulcera interna ulceribus arte factis externis profligantur; inflammationes viscerum irritantibus externis, vesicatoriis inprimis ac sinapismis debellantur. Neque tamen semper similis morbus exigitur, sed saepe diverso eadem medela consequitur. Namque et febre tolluntur stases, et arthriticis doloribus nervorum resolutiones, et alvi fluxibus obstructiones, et sanguinis cursibus menstrui cursus suppressio. Neque simili morbo semper praevius ubique opprimitur, cum et morbillos cum variolis, et inflammationes viscerum duorum et dolores plurium membrorum organorumque simul adesse eademque vehementia saevire observemus. Quibus positis intelligitur, et hoc praeceptum experientiae contrarium esse.

Ad ipsam veniendum est curationem, quam auctor huius doctrinae ita instituit, ut victus rationem summa industria praecipiat, praeter aëris puri usum tenues cibos iusculaque parum nutrientia iubeat, prohibeat vero valentiora quaeque, ac ea, quae stimulos praebeant medicamentorum more agentes, in quibus et theae et coffeae potum, et aromata, et cerevisiam generosam numerat: quibus assueti eapropter medelae novae resistant, quod corpus iam perpetua morbosa laboret agitatione. Quae praecepta quamvis vituperanda non sunt, memoriam tamen revocant veteris methodi, quae, ut κύκλον suum ἀναληπτικόν adhiberet, in eo tota fuit, ut de die in diem ciborum copiam curiose praescriberet et qualitatem. Callide profecto haec praecepta commentus est auctor. Etenim, si infinita prorsus medicaminum exilitate nihil omnino molitur ars, fiducia omnis ponenda est in victus ratione, quam cum cautissime ac circumspectissime servant aegroti, naturae potentia eo magis eminet atque per se morbum saepius tollit.

Magnopere autem Hahnemannus urget differentiam primarii, quem produnt medicamina, effectus, et secundarii, quorum hic plerumque longe alienus est, imo quandoque oppositus. In illo vero situm esse sibi persuadet princeps artis adminiculum, ut symptomata similia producantur, quibus morbosa phaenomena cedant. Reactionem nimirum solis primariis effectibus comprehendi, neque excipere secundarios. Quod quam erroneum sit, proficiscitur ex ipsa phaenomenorum investigatione. Namque, si verum est, vomitum e. g. vomitu, alvi fluxum eodem affectu curari, secundarios effectus mixtos esse primariis neque discerni posse, neminem fugit. Dein ipsa sententia, similibus affectibus similes tolli morbos, longe a veritate recedit. Quod cum nimis longum sit, per omnes curationes persequi, pauca duntaxat monenda esse videntur. Ut enim hoc praeceptum specie quadam experientiae ornet ac suffulciat, Hahnemannus in pharmacologia

ingentem observationum farraginem collegit, e quibus, quid quodvis efficiat medicamentum, proficisci dicitur. At sunt eae observationes haud purae, fidemque eo minus merentur, quo remotior saepe a nostra aetate est vetustas exemplorum, quoque minus liberi saepe a praeconceptis opinionibus fuerunt observatores, quoque magis obiter ac velut per transennas naturam contemplati sunt. Dein egregie falluntur, qui vel typhum pestilentem, vel inflammationem, vel syphilidem etiam similibus excitatis symptomatibus profligare gestiunt, quandoquidem in praeceps rueret aeger, si hoc modo curaretur.

Tandem infinita exiguitas remediorum rationi adversa est et quotidianae experientiae. Contendit quidem, remedia eo magis animatam induere naturam, quo teneriores et minores sint particulae, ut penetrare omnia ac effectum primarium eo promtius producere possint: unde diluendam esse guttulam aut granulum Pulsatillae vel Belladonnae in oceano, ut ita dicam, aquae, si efficaciam idoneam inde exspectaveris. At vero quantopere id repugnet quotidianae experientiae, vel inde efficitur, quod vini vel coffeae potus maxime dilutus alioquin potentissimus esse deberet: guttula igitur vini aquae tanta copia, quantam amplissimum capit vas cellarium, diluta vires validissime refocillaret. Quae cum risum moveant, credibile est, Hahnemanni infinite parvas remediorum doses nihil prorsus per se moliri, sed omnem curationem victus ratione ipsaque natura absolvi.

X.

DE HOMOEOPATHICA MEDICINA.

PROLUSIO II. QUA IUV. ORN. ADOLPHI ARNOLD, DESSAVIENSIS, DISPUTAT. INAUG. D. XXX. IUN. MDCCCXXXII HABENDAM INDICIT.

Plures iam anni elapsi sunt, cum, parem nactus occasionem, de homoeopathica medicina conscriberem commentariolum, qui a me tam parvi aestimatus, ut reperire eum etiamnum nequeam, a doctrinae istius auctore tamen vitio adeo versus fuit, ut diem fere mihi in peculiari epistola diceret et ad mortis provocaret articulum. Equidem vero tantum abest ut viro, a me nunquam viso, succenseam, ut potius e quadraginta annis scientiam eius singularemque artis peritiam, eruditionem etiam praedicaverim. Neque tamen observantia, quam ipsi tribuo, obstat, quominus praecepta artis, quae in organo medicinae evulgavit, figmenta ha-

beam, ratione experientiaque destituta. Orditur autem a regula, omnibus sanioribus artis consiliis opposita, petenda nimirum esse praesidia e solis morbi symptomatibus, neque e ratiociniis, quae nos ad caussas latentes conducant. Neutiquam enim interesse, quid morbum faciat, sed quisnam sit manifestus eius effectus, ut similem remediis nostris passionem producamus. Siccine negas tu, quem honorificis prosequi verbis mallem, quam taxare aut vituperare, negas insignia emolumenta in artem nostram ex anatomia pathologica, e chemia etiam et physiologia redundantia? Siccine rudes doctrinarum earum artifices requiris, in id solummodo intentos, ut remedia noscant, quae similes morbosis affectus producant? Improbus est sane labor, quo senex ille ex omnibus, etiam obscuris, nulliusque fidei auctoribus congessit, quaecunque inservire ipsius praeceptis atque veritatis speciem facere possent. Non abs re esse videtur, praecipua exempla homoeopathicae efficaciae recensere, ut quam male intellecta aut captiose torta aut plane efficta sint, quae observata vocat, patescat. Folia sennae dicuntur tormina ventris curare, quoniam eadem cieant. Quando vero unico exemplo, quod Dethardingius notavit, pervicacem alvi obstructionem expediverunt, doloribus colicis iunctam; quivis fatebitur, haudquaquam doloribus colicis excitatis, sed sublata eorum caussa, obstructione pertinaci, eadem iuvasse. Si a praepostero usu corticis peruviani digestionis labes, ventriculi dolores et ipsa animi deliquia quandoque animadversa leguntur, inde Hahnemannus exponit eiusdem remedii usum in eadem digestionis labe; in quo quantum insit captionis, neminem latere potest. Simili et perversa quidem ratione opii usus adversus ileum ex effectu alvum obstruente explicatur, cum tamen spasmis sedatis intestinorum multo melius commoda exponantur. Cantharides dicuntur in ischuria opitulari, quia eundem affectum producant: sed ecquem fugit, cantharides tum demum proficuas esse, cum a torpore fibrarum vesicae muscularium, quibus collum vesicae nimis resistit, urina intercipitur? Cum plumbi vis adstringens vulgaris sit notitiae, auctor inde derivat usum plumbeorum globorum in ileo, quem testantur nonnulli: at vero nemo non videt, si unquam anceps id remedium iuvit, factum id esse pondere metalli, sicut et hydrargyrum vivum tentatum in ileo legimus. Aquae frigidae usus in ambustis ab auctore penitus negatur, cum tamen quotidiana doceat experientia, expeditius nullum esse aliud remedium. Opponit nivis usum in algentibus gelu membris. Nobis vero salubris is nivis effectus inde derivandus esse videtur, quod nix tum minorem habeat algoris gradum, tum sensim ac paullatim possit sensiferam vim gelu pessumdatam suscitare.

Praemissis iis exemplis, quae totidem opinatur esse fulcimenta doctrinae, ad historica progreditur argumenta, ut doceat, iampridem homoeopathicam doctrinam divinatam fuisse. Incipit a libro de locis in homine Hippocratico [ed. K. Vol. II. p. 143.],

e quo sequentem locum excitat: *διὰ τὰ ὅμοια νοῦσος γίνεται, καὶ διὰ τὰ ὅμοια προςφερόμενα ἐκ νοσεύντων ὑγιαίνονται.* „Per „similia morbus oritur, et per similia oblata ex morbis sanantur." Quae verba, e medio nexu rapta longe alium largiuntur sensum, dum, quali modo cohaerent cum praecedentibus et sequentibus, considerantur. Auctor autem Hippocraticus tali modo argumentatur: „Ars medica ut cito addiscatur fieri nequit, propterea quod „in ea firma aliqua doctrina tradi non potest. Namque diversa „saepe, imo contraria in eodem morbo ab iisdem producuntur „remediis. Etenim nec alvum subducentia semper eumdem effe„ctum praestant, et ex alvo ipsa suppressa propter pituitae in „ventre colluviem alvus fluxa existere potest. Ea ratione, quae „sistunt alvum, subducentibus removentur, vicissimque alvum „subducentia sistentibus. Sic dolor nascitur ob frigus et ob aestum „propter nimiam copiam et propter paucitatem. Itaque et diver„sis et contrariis praesidiis, pro indole morbi diversa, dolores „curantur. Alio autem modo per similia morbus oritur et per „similia oblata ex morbis sanantur, sicut vomitus vomitu sedari „potest, quia saepe, quae vomitum excitant, per inferiora de„mittunt, quod intus vomitum effecit." Ex hoc nexu apparet longe alius sensus citati loci, quam is, quem extorsit Hahnemannus. Namque generatim omnis Hippocraticae scholae ars medica praecepto nitebatur: contraria contrariis curanda esse, quod in febribus ardentibus ratio docet et usus quotidianus. Ecquis enim, nisi vesanus, aestum febrilem unquam oppugnaverit exaestuantibus? Ecquis unquam impetum sanguinis versus nobilia organa iis, quae impetum augere possunt? Hippocrates ipse (aph. II, 22. ed. K. Vol. III. p. 714.) monet: Morbos a repletione evacuantibus, ex inanitione replentibus curandos esse, *καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις*, „et in aliis opponenda esse contraria". Sic et auctor libri sexti de morbis popularibus (sect. V. aph. 7. ed. K. Vol. III. p. 607.) *Ἴησις, ἀντίνοον μὴ ὁμονοεῖν· τῷ πάθει.* „Medicatio est, contrarium cogitans, non consentire affectui." Quam parum igitur novae doctrinae Hippocratis auctoritas faveat, satis elucet.

Alium errorem, e socordia maloque consilio natum, diluere mihi sumo. Cum rosarum odor nonnullis hominibus molestus sit, dicaturque animi deliquia gignere, deducit Hahnemannus inde vim aquae rosarum in lipothymiis, cuius exemplum sequentibus verbis adiungit: (Organon §. 122. p. 227.) „So half die Prinzes„sin Eudoxia einer ohnmächtig gewordenenen Person mit *ῥοδό„σταγμα*, Rosenwasser (Hist. byzant. scriptores.)". Vel ipse non legit locum Hahnemannus, vel negligenter perstrinxit, vel callide imo captiose in suam rem convertit. Inest enim locus Alexiadi, seu historiae Alexii I., a filia Anna Comnena conscriptae (lib. XV. p. 503. ed Possevin.) Cum nimirum Alexius Imperator ultimo morbo gravissimo correptus decumberet, animique praesertim deliquia frequenter recurrentia timorem iniicerent, Maria Porphyrogenneta, soror ipsius, praeter frigidam etiam *τὸ τῶν ῥόδων*

στάλαγμα ipsi aspersit, quo vires ad tempus saltem refocillari videbantur. Eudociam, alteram amitam suam, aegro tantum assedisse, nec praesidia artis administrasse, Anna testatur. Quid autem fuerit *τὸ τῶν ῥόδων στάλαγμα*, non satis liquet, cum nec in aliis *) scriptoribus occurrat, nec idem cum *ῥοδοστάγματι* sit. Hoc enim *ῥοδόσταγμα*, in Nono seu Theophane [c. 97.] obvium, idem fuisse cum *ῥοδοστάκτῳ* videtur, cuius parandi modum Paullus Aegineta [lib. VII. c. 15.] tradit, dum petala rosarum cum dupla portione mellis coqui iubet, donec quarta fuerit pars consumta. Haec vero compositio ei usui neutiquam apta est, ad quem Maria Porphyrogenneta in aegro fratre Alexio adhibuit. Aspergi enim vel faciei vel manibus nequit. Nec id, quod *ἔλαιον ῥόδινον* Graeci a Dioscoride ad Alexandrum usque Trallianum appellant, ad *ῥοδοστάλαγμα* aut ad oleum rosarum destillatum referri potest. Est enim oleum cum rosis coctum, quemadmodum similia olea hyoscyami et absinthii in officinis nostris prostant.

Quae cum ita sint, *ῥοδοστάλαγμα* videtur vel aqua rosarum destillata, vel oleum essentiale. Illius prima fit mentio in Mesues iunioris, Hamechi filii, scriptis, quae initio saeculi undecimi prodierunt (simpl. c. 10. f. 54. b.). Quamquam textus arabicus obvius non sit, interpretatio latina tamen diserte de destillatione rosarum, ad parandam eam aquam loquitur. Ab Arabibus autem sine negotio potuit notitia eius aquae cum usu eiusdem in Curiam Constantinopolitanam abire, cum Constantini VII., Porphyrogenneti, aetate, medio fere saeculo decimo, Saraceni iam in famulitium aulicum reciperentur. Eum morem servatum fuisse a pluribus, qui sequebantur, imperatoribus, inde patet, quod Anna Comnena mentionem Saracenorum fidorum facit.

Ex his vero allatis exemplis luculenter patet, quam parum fidendum sit testimoniis, quae ex innumeris veterum monumentis librisque recentiorum Hahnemannus adducit. Priusquam autem pedem figam, aliud tangam praeceptum, quod opprobrio esse auctori videtur. Ut extracta plantarum parentur efficacia et corruptionis expertia, spiritum vini, et aequalem plerumque succo portionem addit. Sed inventum, quod iam 1810 evulgaverit, sibi a Bucholzio ereptum, expeditioni ruthenicae anni 1812 perperam

*) [Eustathius de Ismenia et Ismenes amoribus lib. I. p. 6. ed. Gaulmini. Paris 1687. 8. narrat Ismeniam non ut praeconem sed ut numen exceptum esse: *συντρέχει τὸ πλῆθος, κοσμοῦσι τὰς ἀγυιὰς, μυῤῥίναις τὴν ὁδόν μοι καταστρώννυσιν, ὀδμοῖς τὸν ἀέρα θολοῦσι· καταιρέχουσι τὸ παρεστιῶς ῥόδων σταλαγμοῖς.* Salmasius ad Ael. Lampridium p. 193. haec habet: „Sic stamma pro stagma apud Prudentium in Romano

> Dum sanguis extra defluit scaturiens
> Perfusa pulcher menta russo stammate.

Sic recentiores Graeci *ῥοδόσταμμα* pro *ῥοδόσταγμα* dixere. Nicetas Choniates in Graeco barbarico libro: *καὶ ἠλείφετο μυριάσματα ῥοδοσταμμάτων παντοῖα.*" R.]

tribui. Saeculi lamentatur iniquitatem, quae Asiae desertis malit inventi laudem impertire, quam civi bene merito. At vero tristissimum est et in plerasque, excepta una batava, pharmacopoeas receptum consilium, e plantis, quae resinoso principio gaudent, tum demum extractum parari efficax, cum spiritus vini, aut alcohol, aut aether etiam sulfuricus, Pelleterii exemplo in extracto ipecacuanhae conficiendo, addatur. Ad nostram pharmacopoeam sic parantur extracta aconiti, angelicae, arnicae, belladonnae, calami, conii maculati, digitalis, lactucae virosae, calendulae, stramonii. Aether sulfuricus etiam affunditur filicis radici pulveratae, ut inde extractum constituatur. Ex herbis vero, quae nullis scatent resinosis partibus, extracta parantur, vel succi inspissatione, vel sola affusa aqua, sicut id vulgatissimum est in extracto graminis, taraxaci, fumariae, cardui benedicti, trifolii fibrini et centaurii minoris. Haec neutiquam spiritum vini poscunt, ut corruptio arceatur. Ridicula est senis decrepiti arrogantia, qua, priusquam cholera affectum uspiam viderat, expeditissima semet invenisse remedia contra id malum, gloriabatur, cuprum scilicet et, mox mutato consilio, camforam. Quod consilium cum imitatorum grex inepte sequeretur, aegris perniciem sibique ignominiam pararunt.

Longum est in incredibilem exspatiari exilitatem praesidiorum, qua tam parvam passionem aegritudini similem producere studet, ut nec ab aegroto ipso sentiatur, nec ab artifice animadvertatur. Id tantum addam. Cum nuper legibus patriis sapienter provisum sit, ne quis pharmacopola homoeopathica audeat remedia dispensare, editor ephemeridum sic dictarum nationis germanicae, medicinae ille omnino rudis, eoque acrior Hahnemanni assecla, plangere coepit ac lamentari magistratus borussici coecitatem, qui, viribus imponderabilium haud cognitis, eius ope edicti humanum genus summa afficiat indelebilique iniuria.

Sed haec hactenus. Sentio enim, quam molestum sit, aliis exprobrare hallucinationes, maxime turpitudinis nota haud carentes.

XI.

EMPEDOCLIS COMMENTA DE PROTOGAEA.

PROLUSIO, QUA IUV. ORN. BERNHARDI CASIMIRI IOSEPHI GÓRA, POLONI, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XVII. IAN. MDCCCXXV. HABENDAM INDICIT.

Quae e mundo primaevo supersunt, non possunt non et animum advertere et admirationem movere, tum quod peregrinas plane alienasque a nostro aevo formas exhibent, tum quod in saxis peculiaribus inveniuntur. Si quis enim in terra alluvia, in luto, argilla et specubus ossa belluarum immanium contemplatus fuerit, aut si in calce stegite et psammite aut sympexio iunioris originis cochleas, cornua, tubulos concameratos conspexerit, nonne stupore quodam immensa mundi vetustas ac infinita formarum varietas afficit, quibus et remotissima illa aetas abundavit? Neque plantarum quicquid superest, minorem facit admirationem. In schisto enim et ardesia, in psammite et terra bituminosa abundant filicum, palmarum, equisetorum variarumque tribuum, a nostro aevo alienarum, genera. Earum reliquiarum primum habeo observatorem Empedoclem Agrigentinum. Origines enim mundi animati exposuisse eum tali modo Plutarchus [de placit. philosoph. V, 19.] refert:

Ἐμπεδοκλῆς τὰς πρώτας γενέσεις τῶν ζώων καὶ φυτῶν μηδαμῶς ὁλοκλήρους γενέσθαι, ἀσυμφυέσι δὲ τοῖς μορίοις διεζευγμένας· τὰς δὲ δευτέρας, συμφυομένων τῶν μερῶν, εἰδωλοφανεῖς· τὰς δὲ τρίτας τῶν ἀλληλοφυῶν· τὰς δὲ τέτταρας, οὐκ ἔτι ἐκ τῶν ὁμοίων, οἷον ἐκ γῆς καὶ ὕδατος, ἀλλὰ δὲ ἀλλήλων ἤδη, τοῖς μὲν πυκνωθείσης τῆς τροφῆς, τοῖς δὲ τῆς εὐμορφίας τῶν γυναικῶν ἐπερεθισμὸν τοῦ σπερματικοῦ κινήματος ἐμποιησάσης. Τῶν δὲ ζώων πάντων τὰ γένη διακριθῆναι διὰ τὰς ποιὰς κράσεις· τὰ μὲν οἰκειότερα εἰς τὸ ὕδωρ τὴν ὁρμὴν ἔχειν, τὰ δὲ εἰς ἀέρα ἀναπνεῖν, ἕως ἂν πυρῶδες ἔχῃ τι πλέον, τὰ δὲ βαρύτερα ἐπὶ τὴν γῆν, τὰ δὲ ἰσόμοιρα τῇ κράσει πᾶσι τοῖς θώραξι πεφωνηκέναι (πᾶσι τοῖς χώροις ξυμπεφυκέναι Wyttenb.)

Haec ita interpretor:

„Empedocles primam et animalium et plantarum generatio-„nem haudquaquam integris contigisse corporibus, sed membris „nondum coalitis seiuncta fuisse. Secundam generationem coale-„scentibus membris spectrorum formas exhibuisse; tertiam ea pro-„duxisse corpora, quae e se invicem propagentur. Quartam ge-

„nerationem haud amplius e similium rerum coitu, ut ex aqua „terraque fieri, sed iam ex alterno congressu; alterius alimento „densato, alterius motu ad rem veneream venustate mulierum „suscitato. Esse autem omnium genera animalium discreta iuxta „temperiei rationem, aliis, quibus aqua sit familiaris, eam pe- „tentibus, aliis in aëra avolantibus, cum ignei cuiusquam plus „habeant, gravioribus terram habitantibus, iis vero, quorum tem- „peries aequabilis est, omnibus locis congenitis."

Cui theoriae ut lucem feneremur, protinus magni est momenti, Empedoclem plures distinguere aetates mundi pluresque generationes. Id etiam ex alio elucet loco Plutarchi [de placit. philosoph. V, 26.]: *Ἐμπεδοκλῆς πρῶτα τῶν ζώων τὰ δένδρα ἐκ γῆς ἀναδῦναι φησὶ, πρὶν τὸν ἥλιον περιαπλωθῆναι καὶ πρὶν ἡμέραν καὶ νύκτα διακριθῆναι.* Quod ita verto: „Empedocles „priusquam animalia arbores e terra emersisse, antequam sol cir- „ca (terram) expanderetur, priusquam dies ac nox discernerentur." Corruptum credidit hunc locum Reiskius, cum *περιαπλωθῆναι* de sole dici non possit; ideo *περικυκλωθῆναι* esse legendum, cui assentiens Wyttenbachius et antequam circumvolveretur sol, habet. Uterque autem vir falli mihi videtur, namque dici omnino potest, solem ipsiusque lucem radiosque circa terram expandi, maxime si poeticam Empedoclis dictionem respicimus. Voces autem *ἁπλόω*, *ἐξαπλόω*, *ἀναπλόω* et in prosa oratione significare explicationem s. expansionem, vel ex unico Dioscoridis loco [II, 188.] patet, ubi de Pipere loquitur: *ὅπερ κατὰ τοὺς οἰκείους καιροὺς ἀναπλούμενον, βότρυς ἀνίησι.* Accedunt argumenta a Sturzio adducta, praecipue Pollucis Phavorinique testimonia de significatione *τοῦ ἁπλοῦσθαι.* (Empedocles ed. Sturz. p. 364).

Credidit ergo Agrigentinus priorem esse aetate generationem vegetabilium quam animalium; quod et cum nuperrimis congruit observationibus. Schistus enim et ardesia, psammites et sympexia, in quibus plantae mundi primigenii occurrunt, lithanthraces praeprimis, multo antiquioris originis sunt, quam calx stegites, psammites et sympexia ea, quae animalia continent; cuius rei testem solum advoco Steffensium (Beiträge zur innern Naturgesch. der Erde, p. 20. 26.)

Ut autem ad primum maxime memorabilem locum redeam, Empedocles varias statuens sibique succedentes mundi aetates, primam docuit sola membra disiuncta produxisse, alteram, cum iam coaluerint membra, spectrorum species exhibuisse. *Εἴδωλα* autem esse vera spectra, e Ciceronis ad div. XV. ep. 16. discitur. Sola vero membra seiuncta habuit Empedocles reliquias eas mundi primaevi, quas trochitas, astroitas, epitonitas, serpulitas, tubulitas, belemnitas vocamus. Quae membra si coaluerint, spectrorum species exhibere (*εἰδωλοφανῆ*). Haud dubito, ante oculos philosopho obversatas fuisse belluarum immanium e *πρωτογαίᾳ* reliquias, lophiodontum, xiphodontum, mastodontum, pa-

laeotheriorum, megatheriorum exemplis. Ambigi potest, huene iure trahantur versus Empedoclis sequentes:

Πολλὰ μὲν ἀμφιπρόςωπα καὶ ἀμφίστερνα φύεσθαι,
βουγενῆ, ἀνδρόπρωρα, τὰ δ' ἔμπαλιν ἐξανατέλλειν
ἀνδροφυῆ βούκρανα· μεμιγμένα τῇ μὲν ὑπ' ἀνδρῶν,
τῇ δὲ γυναικοφυῆ σκιεροῖς ἠσκημένα γυίοις.

(Aelian. hist. anim. XVI, 29.) Cum his etiam congruunt *τὰ τέρατα Ἐμπεδοκλέους* [*ὧν καταγελῶσιν*:] *εἰλίποδα κριτόχειρα* (*κριόχειρα* Wyttenb.) *καὶ βουγενῆ ἀνδρόπρωρα.* (Plutarch. adv. Coloten, 28, p. 589.) Videntur tamen omnino huc pertinere illa monstra dicam an portenta, siquidem et Aristoteles tali modo Empedoclem intellexit: omnia membra, artusque cunctos casu fortuito coaluisse, periisse autem ac interiisse, quaecunque haud *ἐπιτηδείως*, i. e. haud apto ac idoneo modo, concreverint. Ubi hoc autem acciderit, servata esse animalia (Aristotelis physic. II, 8.)

Versus etiam corruptissimos, quos Simplicius servavit (ad Aristot. de coelo, III. f. 144. b.), quibusque emendandis et Hermannus et Buttmannus et Sturzius operam impenderunt, huc pertinere arbitror. Sunt autem sequentes:

Γυμνοὶ μεμόρφωνται βραχίονες χωρὶς ὤμεων,
ὀφθαλμοὶ δὲ τοιοῦτοι ἐπλάσθησαν πτωχοὶ μετώπων.

Ita saltem, licet hexametri labascant, intellectu faciles sunt, ut indicent, singulorum membrorum creationem praecessisse seriorem creationem. Sic et servatur versus Empedocleus ab Aristotele, repetitus ab aliis:

Ὡς πολλῶν [*πολλοὶ*] *μὲν κόρσαι ἀναύχενες ἐβλάστησαν.*

(Aristoteles de generat. animal. I, 18. de coelo III, 2. Philopon. ad Aristotelis phys. f. 16. b.)

Tertia et quarta generatio Agrigentino probe differre videntur. *Τῶν ἀλληλοφυῶν* dicit esse illam, sed quae neutiquam e congressu utriusque sexus exponitur. Est ergo generatio, qualem in omnibus imperfectis et inchoatis observamus naturis, quae e se ipsis per abundantem nutritionem partes sui separant, expellunt ac dispergunt, unde novae iterum naturae nascuntur. Tali modo gastromycetes, tali animalcula infusoria propagantur. Id maxime interest tertiam generationem quartamque, quod, quae in illa nascantur, primitus sint e conflictu elementorum progenita. In quarta generatione vero cessat vis eius concursus elementorum, cum utriusque sexus congressus exigatur. Hinc de tertia potissimum generatione dixit Empedocles:

Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτων ἄκουε,
πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖαν ἠδ' αἰθέρος ἄπλετον ὕψος·
ἐκ γὰρ τῶν, ὅσα τ' ἦν, ὅσα τ' ἔσσεται, ὅσσα τ' ἔασιν.

(Clemens Alexandr. stromat. IV. p. 624). Quibus intelligitur, generationem, quam nostra aetas aequivocam nuncupat, ab Agrigentino in solis inchoatis naturis, trium nimirum priorum generationum, statutam fuisse, cui non possumus non astipulari,

etiamsi et Cicero et Clemens Alexandrinus, Ernestus denique Platnerus atheismi in crimen vocarint Agrigentinum. Sic enim Cicero: „Empedocles multa alia peccans, in deorum opinione „turpissime labitur. Quatuor enim naturas, e quibus omnia con„stare vult, divinas esse censet, quas et nasci et extingui per„spicuum est et sensu omni carere." (de nat. deor. I, 12.) At vero, licet efficacia habuerit ea elementa Empedocles, licet deorum nominibus Iovis, Apollinis, Vestae, Thetidis et Vulcani illa principia appellaverit: *) omnino tamen digne de summo numine eum sensisse, patet e versibus, quos Tzetzes (chil. VII, 520.) atque Ammonius (ad Aristot. de interpret. f. 172. b.) servarunt:

Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦν', οὐ μήδεα λαχνήεντα,
ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο, μοῦνον
φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι.

„Non pedes, non celera genua, non pudenda hirsuta (Deo sunt), „sed sancta omnino ac ineffabilis mens, quae consiliis „celeribus omnem pervadit mundum."

XII.

QUID COLLEGIA IURATA SEU SODALITIA ARCANA, SACRAMENTO IN SILENTIUM ROGATA, AD MEDICINAM AUGENDAM FECERINT?

PROLUSIO, QUA IUV. ORN. HERMANNI DE CHAUFEPIÉ, HAMBURGENSIS, DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE RECENS PROMOTI, SPECIMEN INAUGURALE DE PEMPHIGO COMMENDAT. MDCCCXXV.

1.

COLLEGIA ASCLEPIADUM.

Antiquissimum morem, artem aut scientiam, qua quis inclaruit, nonnisi filiis vel propinquis tradendi, e gentium ruditate infantiaque artium profectum esse arbitror. Ut enim arctissimi

---

*) Tralaticii sunt versus, quos praeter Sextum Empiricum [advers. Physic. I, 362.] plures veteres repetunt:
Ζεὺς ἀργής, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεύς,
Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.

sunt limites artificiorum cognitionumque, ita, vel maximum impositurì pretium, qui iis gloriantur, carissimis duntaxat liberis ac propinquis relinquere eas artes consuescunt, aut, orbitate coacti, iis duntaxat tradere, qui, diuturna initiati disciplina longaque assuefacti consuetudine, sacramento prius obligati silentium spoponderint. Hi, fratrum ad instar a magistro, quem parentis loco habebant, edocti, *παῖδες ἰατρῶν* et *ἠδελφισμένοι* vocabantur *ἰατροί*, genuini, liberales, fraterno amore coniuncti medici, quos Plato iam a *βαναύσοις καὶ ἀνελευθέροις* distinguit [1]). Et Hippocrates in praeceptis ait [2]): *Τίς γὰρ, ὦ πρὸς Διὸς, ἠδελφισμένος ἰητρὸς, ἰητρεύει πίστει ἢ ἀτεραμνίῃ;* „Quis „enim genuinus medicus, per Iovem, fidem haud magis adhibet in medicando quam duritiem?" Hinc et in celeberrimo iureiurando Asclepiadum sponsio occurrit, artem solummodo cum filiis aut cum magistri liberis aut cum *ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ* communicaturum se esse. Eodem modo et Melampodis *ἔκγονοι* [3]) et Chironis progenies [4]) sacramento obstricti artem propinquis solis tradere consuerant. Ob eam rationem Asclepiadum familia dicebatur *οἱ τῷ Θεῷ προσήκοντες* [5]). Et Aristides testatur, atavi (Aesculapii) artem a genere ipsius servari velut *σύμβολον τοῦ γένους* [6]). Hinc et Luciani medicus silentium excusat: *Μύστης με σιγᾶν ὅρκος, οὐκ ἐᾷ φράσαι, καὶ λοισθία θνήσκοντος πατρὸς ἐντολή* [7]).

2.

COLLEGIUM PYTHAGORAEORUM.

Simili plane modo Pythagoras collegium instituit iuratum, quod medicinam arcano modo facere, lyraque, lustrationibus et carminibus morbos fugare docebat [8]). Soluto autem, propter Pythagoraeorum ambitionem et *δημαγωγίαν*, eo collegio, occisis plerisque in tumultu Metaponti moto, pauci supplicium effugerunt, qui, mortuo etiam magistro, iuriiurando tam parum stare audebant, ut et Pythagorae ipsius scripta Philolaus Dioni Syracusio venderet et Metrodorus ea scripta publice exponeret [9]), Acron denique Agrigentinus ac Democedes Crotoniates medicinam Pythagoraeam publice exercerent, unde *περιοδευτῶν ἰατρῶν* nomine insigniuntur [10]).

Dum haec aguntur, et Asclepiadae, philosophorum et *γυμνασιαρχῶν* praesentia, assidue templa Aesculapii occupantium, co-

---

1) Plato de legg. I. p. 518. ed. Gryn. [?] 2) Hippocratis praecept. p. 26. ed. Foës. 3) Pausanias VI, 17. 4) Dicaearch. de Pelio monte, p. 30. ed. Hudson. 5) Hippocrates epist. p. 1274. 6) Aristides orat. vol. I. p. 80. 7) Lucian. Tragopodagr. p. 673. 8) Iamblich. vit. Pythagor. p. 109. 137. 148. 9) Iamblich. l. c. p. 172. 202. 10) Plutarch. de Iside et Osir. 80. p. 568. ed. Wyttenb. Herodot. III, 125. s.

guntur, scientiam, si qua erat, et artificia non liberis modo et propinquis, sed alienis etiam tradere: quod quamvis doleat Galenus[11]), tantum tamen abest, ut in deterius ex eo inde tempore verterit ars, ut potius tum demum amplificari meliusque coeperit agitari. Immortalis enim medicinae auctor ac conditor, Hippocrates, si familiae instituta servare perrexisset, nunquam de genere humano tantopere meritus fuisset.

3.

COLLEGIA ROMANORUM ET BRITANNORUM.

Μύσται nonnulli, qui magnificentia verborum eruditionem affectant, et religionis purioris et bonarum artium variorumque artificiorum traditionem peculiarem fuisse collegiis Romanorum perhibent satis agentes. Ea sodalitia iurata abiisse, dum ad interitum rueret imperium Romanum, in Britanniam, quam Caesar, referente Eumenio [12]), cum primus intrasset, alium orbem terrarum dixit, quippe non tam oceano circumfusam, quam complectentem ipsum oceanum. Collegia ea, a Saxonibus barbaris pulsa in Cambriae recessus Hiberniaeque paludes, quin in insulas Cassiterides, Monam atque Meneviam semet recepisse: inde prodiisse, qui barbariem disperserint, literas humaniores docuerint, artesque omnes tradiderint, Columbae exemplo, Erigenae et Alcuini. Ea collegia, fabrorum maxime, quibus indiguerit, advocata demum ex asylis Adelstanum, Regem Saxoniae occidentalis Northumbriaeque, immunitatibus decorasse, teste diplomate famoso, quod ad annum 926 refertur. Ex eo inde tempore et humanitatem et artes, quae eam appellant, summo fuisse studio cultas in iis collegiis.

Quae omnia, licet haud plane e vano hausta, hactenus tamen *ἀνιστόρητα* sunt, ut fidis careant testimoniis.

Collegia Romanorum, quae et universitates dicebantur, artificum opificumque sodalitia erant, quae religionis caussa aut consuetudinis ergo coire consuerunt, quibus actor erat seu syndicus et arca communis [13]). Iuratos fuisse sodales, artium mysteria servasse ac tradidisse, *ἀμαρτύρητον* habeo. Collegia ea in Britanniam migrasse, probabile est. Quinetiam testimonio Eumenii firmatur, artifices e Britannia a Constantio Caesare arcessitos esse, ut in civitate Aeduorum seu Augustoduni, templa, aedes operaque publica exstruerent [14]).

Neque negandum, christianam religionem in Britannia pristinam formam diu servasse, pontificis romani spreto primatu, donec, spe Augustini, a Papa, ad finem vergente saeculo sexto,

---

11) Galen. administr. anat. II. p. 281. ed. Kühn. 12) Panegyr. veteres, IV, 11. p. 98. ed. Cellar. 13) Digest. lib. XLVII. tit. 22. 14) Panegyr. III. p. 60. IV. p. 112.

missi, ut antiquae confessionis Britannos subigeret, ad irritum redacta, Ethelfredus, rex Northumbriae, in strage Bangoriensi (603) plus quam bis millia monachorum, Papae victimas, cecidisset [15]). Nec vero pacati prius sunt animi, quam Theodorus Cilix, mansuetudine iuxta ac sapientia, Britannos ad obsequium in Papam adigeret [16]). Verum est, Saxonum sacerdotes Hiberniam frequenter adiisse, si bonarum artium studio exardescerent [17]): verum est, monachos varias artes exercuisse, templa etiam exstruxisse [18]). Neque tamen eo minus Benedictus sacerdos (674) fabros caementarios vitrique artifices e Gallia ad construendas aedes in Angliam vocare debuit [19]). E quibus proficiscitur, nec insignes fuisse artes sacerdotum, nec arcana sodalitia.

4.

COLLEGIA ARCANA SAECULI XVII.

At vero, memoria nuperiorum temporum repetita, haud sine laude dimittenda sunt collegia vere iurata, quae, ne coeca ecclesiae tyrannis studia liberalium artium opprimeret, mysteria servare cogebantur. Eorum primum exhibuit exemplum Princeps Fridericus Cesi, instituta 1603 lynceorum academia, iuvenis tum duodeviginti annos natus. Convocavit autem Romae illustres ingenio ac doctrina viros, in quibus nomina praeprimis Galilaei, Portae, Fabii Columnae, Antonii Recchii, fulgent. Die festo S. Ioannis conventus occultos ritibus religiosis celebrare, fratres iuratos semetipsos appellitare, scripturae aenigmatibus uti, beatam virginem quotidie adorare solebant [20]). Neque tamen curiae Romanae insidias effugere potis erant, quamvis unicus fere finis celebris eius coetus esset, mathesin, physicam doctrinam historiamque naturalem amplificare, observandi studium promovere, atque iuvenibus studia aemulantibus suppetias ire, qui vel egestate vel ecclesiae vetito impediti in hoc collegio libertatem inveniebant et sapientia consilia. Caesius, sacerdotum insidiis minisque pulsus, Neapolin aufugit, collegium id ibi instauraturus, favente inprimis Cardinali Barberino, iuvantibus Columna et Porta [21]), quibus et res herbaria et physica doctrina insignia debet augmenta. Galilaeus, ob motum terrae probatum, carceri traditus, tandem liberatus, in discipulis et amicis tantum

---

15) Bedae hist. eccles. II, 2. p. 110. s. ed. Whetloc. 16) Beda l. c. IV, 5. p. 272. 17) Beda l. c. III, 4. p. 168. c. 27. p. 241. 18) Spelman concil. I. p. 478. Egberts canons in Johnson's collect. I. p. 51. 19) Gulielm. Malmesbur. de gest. reg. anglic. I. p. 21. in Savil. rer. anglic. script. Dunelm. hist. p. 94. in Selden scriptor. anglic. 20) Odescalchi memorie dell' accademia de' Lincei. Rom. 1806. 4. Famiglie celebri italian. fasc. 7. Milan. 1822. 21) Iani Planci Lynceorum notitia, in limine Fab. Columnae φυτοβασάνου, p. XVI. XVII.

excitavit ardorem, ut, favente magno Etruriae duce, 1652 novam stabilirent academiam, quam ab experimentis del cimento vocabant. Coetum eum illustrem constituerunt viri, quibus posteritas plurima debet: Ioannes Alfonsus Borelli, qui mathesi mechanicaeque doctrinae ad functiones musculorum explicandas aut illustrandas applicitae tantam tribuit dignitatem, ut, nisi Barthezius, nemo fere in hac doctrinae parte tantopere excelluerit; Franciscus Redi, qui amplissimam pariter ac intimam rerum naturalium scientiam cum rara orationis festivitate iunxit, cuius sententiarum lepores etiamnum in Italorum ore sunt; taceam Benedictum Castellum, Laurentium Magalottum, Carolum Renaldinum, utrumque et generis splendore et doctrinae copia illustrem.

Exempla Italorum insignia mox imitati sunt Angli, bonarum artium et physicae doctrinae cupidi, qui eo libentius conventus occultos adamare coeperunt, quo gravius atrocem Cromwelli dominationem ferrent. Ut in turbidissimis illis temporibus ac suspiciosis refugium esset, ubi philosophiae naturali, a Bacone Verulamio instauratae, operam darent, Borussus quidam, Samuel Hartlib, Roberto Boyleo suasit, ut collegium invisibile stabiliret, cuius sodales, cuicunque essent religioni addicti, quamcunque elegerint partem civilem, in hoc uno consentirent, ut naturalium rerum studium ac experimentalem philosophiam colerent et amplificarent. Accessit mox Germanus Haakius, qui cum architecto eximio, Christophoro Wren, caerimonias mysticas et nomina fratrum peculiaria adiunxit, quibus semet invicem appellarent. Illustria Wallisii, Willisii, Wilkinsii, Glissonii, Bathurstii nomina testantur, optima Anglorum ingenia sensisse necessitatem eorum coetuum insontium pariter ac utilissimorum. Cromwellianae autem tyrannidis metui cedentes abierunt nonnulli sodales Oxoniam (1649), in qua tranquilla tutaque musarum sede, Boyleo duce, collegium instaurarunt. Nimis longum est, repetere, quae ac quanta et Boyleus et Hookius, Bathurstius etiam ac Barlowius in eo asylo praestiterint. Post restitutam denique regiam Stuartorum domum, prima fere Caroli secundi fuit cura, ut collegii illius dignitatem sua auctoritate sanciret ac regiae societatis titulo condecoraret, cuius merita in bonas artes omnemque doctrinarum ambitum innumera recensere nequeo.

XIII.

DE SAEVA PARITER AC DEBILI TRUNCAQUE MEDII AEVI CHIRURGIA.

PROLUSIO, QUA IUV. ORN. FRANCISCI SCHWABE, DESSAVIENSIS, DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE, SPECIMEN INAUGURALE DE HYDROPE MORBOS CORDIS EXCIPIENTE COMMENDAT. MDCCCXXVI.

Qui veterum annalium memoriam comprehendunt, truncam solent ac debilem usque quaque carpere medii aevi medicinam, maxime eam, quae manibus agit ferramentisque. Et iure quidem summo taxatur crudelis eius aetatis misericordia, quae, etiamsi ad extremum morborum ventum esset, neglectis acerbioribus artis praesidiis, tutioribus tamen, aegro bonis verbis blandiri, membra fovere pulveribus herbisque ex aqua aut vino expressis, carmina etiam iuberet adhibere religiosa variasque hariolationes superstitiosas.

Neque id secus contingere potuisse, proficiscitur e studiorum ratione hominumque indole, qui medicinam facere consuerunt. Antequam enim Parisiis Monspeliique scholae medicorum doctae instaurarentur, ars omnis, sicut et reliquae disciplinae, et trivio et quadrivio comprehensae, penes monachos erant sacerdotesque. Antiquissimus fuit mos, in scholis cathedralibus et docere et discere, praeter alias doctrinas, physicam etiam, quae medicam artem complectebatur [1]). Eius moris prima fere vestigia in Britannia, bonas artes, post rudium populorum incursiones, ex omni Europa, profugas, fovente atque alente, occurrunt. Theodorus enim Cantabrigiensis archiepiscopus et Tobias episcopus Rosae saeculo iam septimo sacerdotes docuerunt medicinam: ille etiam regulas constituit, ad quas venae sint secandae [2]). Britannis iuvantibus Carolus M. et academiam palatinam instituit, cuius sodales medicinam faciebant [3]), et scholis cathedralibus imposuit legem artis medicae docendae [4]).

---

1) Hinc et physici dicuntur media aetate medici et in Anglorum lingua supersunt et Physician et Physick et verbum etiam to physick, purgare. Quid quod et nostris temporibus archiatri populares dicuntur Physici. 2) Bedae hist. eccles. lib. V. c. 3. p. 374. c. 9. p. 400. (fol. Cantabr. 1644.) 3) Alcuin. opp. vol. II. p. 228. ed. Ratisbon. 1777. fol. 4) Baluz. capitul. reg. franc. vol. I. p. 421. fol. Paris 1677.

E ruina literarum superfuerunt auctores nonnulli, qui paullo melius informare sacerdotum animos potuissent, Celsus nimirum [5]) et Caelius Aurelianus [6]). Plerumque tamen paupertina earum institutio versabatur in legendis ineptis auctoribus, Sexto Placito, Apuleio et Marcello Burdigalensi, adhibitis postea, quas Constantinus Afer reportaverat, interpretationibus Arabum. Omnis autem eorum saeculorum chirurgia, quam sacerdotes saltem factitare consuerunt, substitit fere in sanguine mittendo. Id auxilium in solis coenobiis quaesitum fuisse, vel inde patet, quod Lucardis, marchionis Misniae et Lusatiae, Conradi M. uxor, **1146 (1145)** Wettino in Montem serenum se contulisse fertur, ut sanguinem e vena mitteret [7]). Quibus accedit lex, qua Theodoricus rex Gothorum, sacerdotibus mulctas indixit, si vitia in vena secanda commiserint [8]). Reliqua artis praesidia complectebantur preces et carmina, adhibitis praecipue sanctorum hominum vel martyrum ossibus et reliquiis. Quin et ecclesia ipsa, servile opificium iudicans artis exercitium [9]), tum prohibuit conciliorum scitis clericorum ordines superiores a medicina facienda [10]), tum diserte vinculis mulctavit et exclusione a beneficiis ecclesiae eos sacerdotes, qui ferramenta adhibere ad morbos curandos ausi fuerint [11]).

Quibus positis intelligitur, masculam chirurgiam e christiano orbe medii aevi penitus exsulasse oblivionique traditam fuisse, quando et vetitum erat sacerdotibus orientalibus medicinam facere [12]). Quid quod et ipsi Arabes, cum magistri bonarum artium per occidentem fierent, animum facere medicis ac maiorem docere audaciam nequiverunt. Namque Muhammedis asseclae semper in religionem traxerunt cadaverum sectionem, sine qua existere chirurgia nusquam potest [13]). Hinc et princeps chirurgorum Arabum, Albucasis, iure suo queritur civium et inscitiam et imperitiam [14]). Et ipse, quam meticulosus sit, quantaque repellatur religione ab omnibus artis praesidiis, quae, cum in discrimine versentur, ignominiam medico imponere possint, libere fatetur. Refert ipse etiam, se noluisse manum sphacelo exesam, propter vires aegri labantes, praecidere; abiisse ideo aegrum, et cum ab alio auxilium petiisset, amputata feliciter manu, convaluisse [15]).

Neque tamen desunt in memoriis eorum temporum vestigia temeritatis insolentissimaeque crudelitatis, quae maiorem inscitiam

---

5) Gerberti epist. 15. in: Duchesne script. franc. vol. II. p. 832. 6) Cassiodor. opp. vol. II. p. 526. fol. Venet. 1729. 7) Chronic. montis sereni in: Mencken. script. germ. vol. II. col. 179. 8) Lindenbrog. cod. legum Wisigoth. tit. I. p. 204. 9) Bergius om Stockholm för 200 år sen, och Stockholm nu för tiden, p. 234. 10) Mansi sacr. concil. vol. XXI. col. 459. 528. — Gerbert. hist. nigr. silv. tom. I. lib. VII. p. 493. 11) Mansi vol. XXIII. col. 756. 12) Bonefid. ius orientale, p. 78. 13) Histor. artis med. vol. III. p. 358. 359. ed. III. 14) Praefatio ad chirurgiam, p. 2. 4. ed. Channing. 15) Albucas. chirurg. lib. II. p. 450.

prodat an animi atrociam, ambigo. Insigne eius rei exemplum legitur in vita Dedonis II., Comitis Rochlitii et Groitii, quem quartum filium Conradus M., Marchio Misniae, e Lucardi susceperat. Is, immani corporis obesitate, a qua et cognomen Crassi tulit, pressus, cum ab imperatore Henrico VI., Friderici Barbarossae filio, ad comitatum suaderetur in Apuliam, iter id suscipere ob onus corporis molestissimum nequivit. Accersitum igitur medicum rogavit, id pondus minueret, ut posset imperatori morigerari. Nebulo ille, quem medicum dicere nefas fuerit, arvinam tollere intestinorum gestiens, ventrem Dedonis incidit, qui vero mox post plagam inflictam, omentum etiam forte excisum, animam efflavit. Factum id esse anno 1190, XVII Kal. Sept. traditur [16]. Sepultus est in coenobio Cillano, hodie Wechselburg, quod ipse 1174 condiderat. Ibi etiam insanissima curatio et saevissima perpetrata fuisse videtur.

In omni hac narratione, confirmata omnino a reliquis medii aevi scriptoribus, in eo tamen falsum esse montis sereni monachum aut vetero-cellensem persuasum habeo, (uter enim fuerit prior, ambigo) quod Henricum, matrimonii contrahendi vel nuptiarum celebrandarum caussa, Apuliam tetendisse refert. Exploratissimum enim est nobis, Henricum, Romanorum regem, anno iam 1186 cum Constantia, utriusque Siciliae herede, Mediolani nuptias celebrasse [17]. Longe aliud ipsi erat consilium, cum 1190 Italiam aggrederetur. Tum enim necessarium erat, a pontifice maximo coronam Romanam cum coniuge accipere [18], tum repulsa, quam Henricus a Siculis tulit, qui Tancredum Aletinum elegerant, lacessivit eum, ut vi armisque studeret sibi subdere regiones, quas, cum Gulielmus II. Apuliae dux, levir, orbus decessisset, iure sibi hereditario obtingere rebatur [19].

Quam poenam criminis sustinuerit nequissimus homo, qui medicum se iactabat, nescimus. Legibus utique Wisigothicis sancitum erat, si quis aegrotus e curatione moreretur, in servitutem tradendum esse medicum familiae defuncti [20]. Sed haud videntur eae leges ad id usque tempus vel in Saxonia vel in Dania valuisse. Alioquin enim nefarius ille homo, Ioannes abbas e Scania, qui Waldemarum I., Daniae regem, 1182 pharmaco enecavit, capitis damnatus fuisset [21].

Viduam reliquit Dedo Mechtildem, filiam Goswini, Comitis Heinsbergii in agro Iuliacensi [22], cum filiis Conrado V. et

---

16) Chronic. montis sereni, apud Menckenium script. germ. II. col. 206. Annal. vetero-cellens. ib. col. 398. 17) Otto de S. Blasio chron. in: Muratori script. ital. vol. VI. col. 885. Gotfred. Viterb. in Pistor. script. germ. vol. II. col. 522. 18) Otto de S. Blasio l. c. col. 889. 19) Martene coll. ampl. vol. XI. p. 1232. 20) Lindenbrog. cod. leg. Wisigoth. tit. I. p. 204. 21) Saxon. Grammat. hist. dan. lib. XV. p. 372. ed. Sor. 1644. fol. 22) Chronic. Marienthal. in: Meibom. script. germ. III. p. 248.

Theodorico Comite Sommerschenburg. Filias superstites fuisse, dubium est, etiamsi monachus vetero-cellensis id asserat [23]).

Effrenatae illius ac insanae temeritatis alia exstant e medio aevo exempla. Matthaeus Platearius, quem saeculo eodem (XII nimirum) vixisse, e Vincentii Bellovacensis [24]) Petrique Aponensis [25]) testimoniis elucet, Salernitanum narrat quemdam, cum quo pater Matthaei alea luserit, subito angina correptum, atque suffocationis metum affuisse ingentem; patrem autem ipsius, cuneo dentibus interposito clavam interius impulisse, quo facto ruptum abscessum et sanguine profuso liberatum fuisse aegrum [26]).

Sed saniora etiam chirurgorum eius aevi consilia in medium proferenda sunt, ut audacia artificum patescat. Rogerius Parmensis, cancellarius Monspeliensis, vergente in finem saeculo XII., suadet, si ferrum in pectoris cavea sub sterno latuerit, os id forare, ut ferrum extrahatur [27]). Theodoricus Cerviensis episcopus, fistulam ani hortatur cultro incidere, quod tutius sit ac expeditius, quam imbecillis *ἀπολίνωσις* [28]). Labium leporinum Albucasis ita ferramentis curari docet, ut ipsum eius artis peritum esse facile videas [29]).

Saevitiam redolet ferri candentis frequentissimus usus, cui eius aetatis chirurgi addicti erant. In sanguinis cursu ex arteria laesa sistendo Albucasis [30]), in hernia curanda plerique, maxime Lanfrancus Mediolanensis [31]), in hydrocele post incisionem Brunus Calaber [32]) ferrum adhibent candens. Quid quod Lanfrancus, clarissimus auctor, qui in cranio fracto ad Spiritum sanctum preces fundit, nec trepanum prius applicat, quam si festucae ossium creduntur meninges lacerare [33]), qui fatetur, se calculis afflictos, hydropicos et cataracta laborantes dimittere consuevisse, quod curationis modus haud satis sibi cognitus aut timorosus sit [34]), varices tamen ligatos urit, ut pure concepto coalescant [35]).

Efficitur itaque, chirurgiam medii aevi pariter crudelem fuisse ac imbecillem. Quantopere autem illam nostrorum temporum ars praecellat, splendidissime e Gräfii, professoris Berolinensis, dexterrima curatione elucet, qua *κρεουργὸν κρεωφαγότατον* Kröcherum, immensa obesitate laborantem et iam suffocationi proximum, ab omnibus molestiis ita liberavit, ut, qui antea pondere corporis quadringentarum fere librarum opprimeretur, post quinque aut sex menses pondo tantum ducena, et quod ex-

23) P. Langii chronic. citizense in: Pistorii script. germ. I. p. 790. 24) Specul. doctr. XII, 38. f. 177 ed. Venet. 1454. fol. 25) Conciliat. differ. 188. f. 238. a. ed. Venet. 1565. fol. 26) Plateарii circa instans, f. 212. a. ed. Lugd. 1525. 4. 27) Chirurg. f. 374. a. ed. Venet. 1565. fol. 28) Chirurg. f. 171. b. ed. Venet. 1565. fol. 29) Chirurg. lib. I. p. 179. 30) Ib. p. 104. 31) Chirurg. magn. f. 242. a. ed. Venet. 1565. fol. 32) Chirurg. f. 127. c. ed. Venet. 1565. fol. 33) L. c. f. 218. 34) L. c. f. 245. c. 35) L. c. f. 248. d.

currit, penderet [36]). Effecit id artifex scientissimus, praemissis sanguinis missionibus, dum alvum creberrime ac assiduo duceret, dein vero iodis, cuius granum unicum in alcoholis drachma solvi iusserat, tincturam, quater per diem ad guttas viginti propinaret. Id remedium, interpositis medicamentis alvum cientibus, et adhibito victu vegetabili, arvinam tandem ita minuit, ut pristina alacritas lanii cum sanitate rediret. Sagacissima haec ac saluberrima medela profecto digna est, quae magnopere celebretur.

XIV.

DE IGNE S. ANTONII, MEDIO AEVO POPULARI.

COMMENTARIOLUM, QUO IUV. ORN. GULIELMI PLATH, HAMBURGENSIS, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XII. AUG. MDCCCXXVI HABENDAM INDICIT.

Historiam morborum, qui a pristinis inde temporibus genus humanum afflixerunt, et scitu dignissimam esse et ad usum ipsum perquam idoneam, omnes cuiusvis aevi confessi sunt medici, atque adeo, qui ab experientia, quam solam elegerant ducem, *ἐμπειρικοί* dicebantur. Namque, cum unius hominis, et exercitatissimi, vita haud sufficiat, ut plerosque ipse morbos observet, necessariam existimarunt esse historiam, quam eruditione acquirendam esse fassus est peritissimus quisque et artis quam maxime gnarus. Itaque et irritam fuisse meam vitam haud crediderim, quam omnem fere in his studiis iuxta ac in natura plantarum investiganda consumsi. Quando vero medii aevi historia ut sterilis vulgo putatur, ita neglecta iacet penitus atque deserta, mecum constitui pauca quaedam capita illustrare ex ea aetate, qua, qui crucigeri dicebantur, terram, quae Servatorem genuerat, infidelium dominationi eripere moliebantur. Tenebris tantopere obvoluta est ea aetas, ut nullius fere morbi clara atque credulitatis superstitiosae expers reperiatur narratio. Valet id inprimis de morbo, quem ignem S. Antonii vocitarunt, s. ignem sacrum.

Populariter autem grassatus est is morbus per Aquitaniam, Hispaniam ipsamque Germaniam ita ut saepius recurreret. Prima fere mentio fit anno 923, dum, Carolo simplici in carcerem

---

36) Gräfii et Waltheri Journ. für Chirurg. und Augenheilk. B. IX. p. 367 — 393.

coniecto, Rudolphus Burgundiae dux, Gallia potiretur [1]); novissime occurrit eodem nomine 1230, cum Iacobus rex Aragoniae insulas Baleares sibi submisisset [2]). Is enim nosocomia strui iussit, in quibus miseri hoc morbo conflictati curarentur. Nomen autem, quo ea aegritudo per tria saecula insigniebatur, a sancto Antonio, monachorum antesignano, petendum esse exploratum habemus. Cum enim, vergente in finem saeculo X., pestis ad instar, is morbus Delphinatum Galliae vastaret, nobilis quidam Iosselinus, ossa S. Antonii, Constantinopoli acquisita, in Galliam adportavit: quo facto in fano quodam sacrato prope Viennam deposita adorationem credulorum hominum mereri videbantur, quod effugium mortis concedi iis dicebatur, qui ossa ea coluerint. Quin et Gasto, nobilis Gallus, cuius filius cultu ossium S. Antonii ex eo morbo evaserat, anno expeditionem crucigerorum primam praecedente, ordinem fratrum S. Antonii instauravit, quorum officium erat, curare eos, qui morbo illo correpti essent [3]).

Qualis vero fuerit morbus, dici haud facile potest, cum praeter Albucasin, obiter eius mentionem facientem [4]), nemo medicorum descripserit. Inflammationibus adnumerandum esse liquet tum ex ipso nomine ignis, tum e cruciatibus, quibus torquebantur. Inflammationem in gangraenam et sphacelum valde proclivem fuisse persuasum habemus, vel unius Alberici, Monachi trium fontium testimonio [5]): „Anno inquit, 1089 ignis sacer Lotharingiam devastat, exesis membris, instar carbonum nigrescentibus, aut misere moriuntur, aut pedibus manibusque truncati miseriori vitae reservantur: multi nervorum contractione distorti cruciantur." Haec ultima forma interdum per se substitit, ita ut membra miro tetroque modo convellerentur, accedentibus ecstasi, catalepsi aliisque id genus affectibus [6]).

Consilio translato ad ea, quae vel praecedentia vel comitantia huic pesti favisse videntur, manifestum est, praecipue versus finem saeculi undecimi, frequentia eius morbi infestissimum, ob continuos per omnes aestates imbres, ob agrorum inundationes non solum annonae caritatem exstitisse, sed frumentum etiam depravatum fuisse. Quibus positis intelligitur, ignem eum sacrum et Raphaniae et Necrosi ustilagineae Sauvagesii esse accensendum. Utrumque equidem morbum, licet simul occurrere consuescat, tamen differentem statuerunt et Saillantius [7]), et Marcardus [8]). Differentiam autem magis varietate niti, quam vera specie, probari posse videtur. Sicut enim et angina polyposa saepius, exuto charactere inflammatorio, mere spasticum

---

1) Frodoardi chron. in: Duchesne script. franc. II. p. 612. 2) Gomes Miedes in: Hispan. illustr. III. p. 420. 3) Helyot Gesch. aller Orden, II. p. 128. 4) De chirurg. lib. II. s. 93. p. 444. 5) Leibnit. access. histor. vol. II. p. 136. 6) Sigebert. Gemblac. in: Struv. script. I. p. 701. 7) Edinb. Comment. IX. p. 161. 8) Versuche, II. p. 54.

retinet, ut asthmatis Millari nomine veniat, ita et hic morbus duplici forma incedere solet, ἀπυρέτῃ nimirum et acuta seu febrili. Diuturna febrisque expers forma per Germaniam et nostra memoria grassata est, quoties aestas pluviosa et frigida maturare frumentum non posset. Annis 1588, 1593 et 1596 Silesiae Hassiaeque infesta fuit, a Schwenkfeldio [9]) et facultate medica Marburgensi [10]) descripta. Convulsio cerealis dicta, orsa est formicationis sensu, quem illico dolores atrocissimi ac pervicacissimi excipiebant, accedentibus diris convulsionibus pertinacibusque membrorum contractionibus, catalepsi etiam et desipientia. Sic morbus miserum aegrum traxit per aliquot hebdomadas; dum mitesceret, superfuit fatuitas aut epilepsia per omnem saepe vitam. Idem morbus rediit in Germania boreali et Suecia post annos infaustos 1770 et 1771, cum annonae penuria, aestatibus pluviosis frigidisque producta, mortalium genus opprimeret. Eadem fere forma fuit, quam saeculo XVI. ad finem vergente induit, nisi quod bulimus constans faceret symptoma. Accessus etiam recurrere per circuitûs tertianarios aut sine ordine meminimus: qui ubi ingruerent, post myrmecismum immanes dolores cum membrorum convulsionibus, prostratione virium summa ipsisque deliriis aegrum cruciabant. Intercapedines etiam animi desponsione, memoriae lapsu, vomitu et esurie incredibili stipatae erant. Accessus dein crebriores nervorum resolutiones, virium iacturam irreparabilem ipsosque anthraces cum glandularum abscessibus in gangraenam pronis attulerunt, quibus mors accelerabatur. Saluti fere fuerunt vomitus, quibus Trichocephali eiicerentur, exanthemata scabiem simulantia, abscessus vel ptyalismus [11]).

Necrosis gallica s. ustilaginea, quam vernaculo Ergot s. Ergotisme Galli appellant, paullo aliter se habuit, quoties et Galliam et Helvetiam [12]) et Italiam superiorem [13]) infestavit. Galliae Aurelianensis tractus Soloniensis inter amnes Ligerim et Cerum vel maxime obnoxius huic fuit pesti; sed saeviit quoque per ditionem Atrebatensem et Duacensem Picardiae et Flandriae gallicae. Uberrimam eius historiam memoriae tradiderunt Readius [14]), Salernias [15]) et Tesserius [16]).

Coepit autem doloribus atrocissimis membrorum, praevio formicationis sensu, comite febre ardente, aestu interno intolerabili, anxietate et vomitibus continuis. Tum membra dire convelli, tumescere, sensum amittere, livescere, algere, vesicis

---

9) Theriotroph. Siles. p. 334. 335. 10) Horst. observ. med. lib. III. p. 299. 11) Taube's Gesch. der Kriebelkrankheit. Gött. 1782. 12) Lang Beschreibung des schädlichen Genusses der Kornzapfen im Brot. Lucern. 1717. 13) Ginanni delle malattie del grano in erba. Pesaro. 1759. 14) Traité du seigle ergoté. Strasb. 1771. 15) Mém. présentés à l'acad. des scienc. II. p. 155 s. 16) Mém. de la soc. de médec. à Paris, 1776. p. 417. 1777. p. 587.

obtegi. Mox cum summa virium iactura vesicae ichorem fundere foetidum aut atri cruoris guttas. Denique sphacelus circumscriptus membrorum partem seiunxit; protinus digiti, tum maiores articuli penitus secesserunt, citra ullam sanguinis profusionem. Haec vero forma sine dubio eadem fuit, quam medio aevo ignem S. Antonii aut sacrum vocitabant.

Quod caussam attinet remotam huius aegritudinis, opinionum summa diversitas nos implicare videtur. In eo tamen plerique consentiunt, haudquaquam ustilaginem, nec ῥοάδα, quam Honigthau nostrates appellant, nec Raphanum Raphanistrum accusari debere, sed secale cornutum, quod in pullis cohortalibus aliisque animalibus domesticis eumdem morbum producit, ac in hominibus. Id enim experimentis Tesserius egregie probavit.

Appendicis loco addere libet, quae ad syphilidis vestigia in medio aevo comprobanda aliquis vertere posset. Adelais, vidua Rogerii Siculi, quae dein 1114 nupserat Balduino II, Hierosolymorum regi, ab ipso iterum 1117 repudiatur, specie sumta a cancro, qui genitalia honestae matronae exederit [17]). Quae quidem narratio fidei parum meretur, cum optimi auctores, qui res Balduini memoriae mandarunt, eam caussam divortii penitus sileant. Quodsi etiam vera fuerit, ad uteri carcinoma multo prius spectare quam ad syphilidem videtur. At vero Balduini magnopere intererat, praetexere culpam suam hac aegritudinis specie. Ipse enim Patriarcha Arnulfus, qui mendacio, Balduinum etiamnum caelibem esse, divitiis splendidam matronam e Sicilia Palaestinam allexerat [18]), idem iam admonuit aegrum regem culpaeque conscientia anxium, dimitteret uxorem siculam, cum altera, Armeni principis filia, in monasterium prope Hierosolyma amandata ibi etiam nunc langueret [19]).

---

17) Alberic. trium fontium in: Leibnit. access. histor. II. p. 223. 18) Gulielm. Tyr. XI, 21. p. 808. in Bongars. 19) Albert. Aquens. p. 377. in Bongars.

XV.

LIBELLI HIPPOCRATICI, DE OSSIUM NATURA AETATEM ORIGINEMQUE EXCUSSURUS.

IUV. ORN. IOANNIS FRIDER. ED. HARTMANN, MAGDEBURGICI, DISPUTATIONEM INAUGURALEM D. X. NOV. MDCCCXXVI HABENDAM INDICIT.

Hippocraticis libris vulgo adnumeratur commentarius de ossium natura, cuius aetas valde dubia est. Namque Grunerus, qui „difficultatum multitudine dici nescia laborare hunc librum" fatetur, leviter tantum et *ἀκριτί* eum perstringit. Magnopere fallitur Grunerus, si, nec apud Erotianum nec apud Galenum huius libri mentionem fieri, perhibet; multo magis etiam errat, dum ab Aristotele commemorari opinatur [1]).

Lucem huic libello feneraturum decet ita progredi, ut primo externa ventilet iudicia, dein vero ad interna veniat testimonia. Quod si autem testes alios interrogamus, nemo fere veterum eo titulo, quem nunc gerit, cognovisse libellum videtur. Etenim inscriptio: *περὶ ὀστέων φύσιος*, inscius rudisque medii aevi scriba apposuisse videtur, cum ordiatur commentarius quidem ab ossium corporis enumeratione, brevi post vero ad fabricam aliarum partium transeat, et potissimum venarum distributionem amplectatur.

Aristotelis testimonium de hoc libro nullum est. Vasorum quidem divisionem, qualis in hoc libro occurrit, repetit Aristoteles, sed Polybo, Hippocratis genero, tribuit, ac similem *διασκευὴν* Diogeni Apolloniati et Syennesi Cyprio vindicat [2]). Iam vero eadem illa inepta *φλεβῶν διάθεσις* in libro de natura humana exponitur, cuius libri summam quidem *ὡμολογημένως* veteres omnes Hippocrati, Heraclidis filio, tribuunt, Platone ipso, aetate proximo, verba eius libri, tanquam Hippocratis citante [3]). Sed varia a variis addita fuisse illi libro, diserte pronunciat Galenus, neque reticet, Polybum, Hippocratis generum, *τῶν νέων διδασκαλίαν διαδεξάμενον*, a multis haberi auctorem eorum additamentorum. Auctoritati igitur Aristotelis confisi, venarum expositionem, in nostro libello obviam, mutuo acceptam habemus e libro de natura humana, cui adiecta fuit a Polybo.

Erotianus, Neroni tempore aequalis, licet plane nullam huius libri mentionem faciat, explicat tamen varias voces anti-

---

1) Gruner. censur. libror. Hippocr. p. 107. 108. 2) Aristoteles hist. anim. III, 3. 3) Platon. Phaedr. p. 211. ed. Basil.

quas, nonnisi in hoc commentario occurentes: e. g. τετάρσωται, quod ἐκτεσσάρσωται in nostris scribitur editionibus [4]; ἐγκίστρευται, cuius loco ἐγκισσεύεται legimus [5]; ἀποκεκάρπωκεν etc.

Neque Galeno ignota fuit haec commentatio, etiamsi haud eadem inscriptio. Κοτυλίδα enim τὴν κοτύλην dicit τοῦ ἰσχίου ἐν τοῖς προσκειμένοις τῷ μοχλικῷ [6]. Innuisse autem Galenum nostrum libellum, nil inde patet, quod κοτυληδὼν s. κοτυλὶς s. κοτύλη τοῦ μηροῦ in nostro occurrit [7]. Luculentius efficitur, Galeno nostram scriptionem innotuisse, quod varias voces ἅπαξ λεγομένας ex eodem libello illustrat: e. g. ἠγκυροβόληται, ὀχετεύεται, ἐπορεξάμεναι etc. [8].

Quibus positis intelligitur, nostrum libellum et Erotiani et Galeni aetate omnino affuisse, peculiari tamen caruisse inscriptione, sed appendicis ad τὸν μοχλικὸν s. vectiarium, vices gessisse, quemadmodum simile additamentum peregrinum ad librum de natura humana accesserat.

Iam vero ipsa scriptio perlustranda est, ut, cuius sit indolis, cui aetati probabiliter adscribenda sit, eluceat. Est autem, si ad verum res exigitur, inepta farrago variorum praeceptorum, quae omnia serius olent aevum, quam Hippocraticum. Protinus enim ab initio potum per laryngem in pulmones et arteriam (fistulam spiritalem) inde vero in summam vesicam deferri opinatur, sicut Plato eam viam indicaverat [9]. Mox sibi ipsi contradicit, dum e sanguine in renibus percolari et secerni urinam statuit, indeque in vesicam venire. Sic etiam, qui antea ἀρτερίας nomen soli fistulae spiritali dederat, iam de arteriis intercostalibus, lumbalibus, ipsaque aorta (licet non hoc nomine) loquitur. Nomen autem arteriarum primum Praxagoram de ramis aortae usurpasse ac pulsum earum functionem naturalem dixisse, exploratum habemus [10]. Tum vero, scientiae iuxta ac constantiae defectum probaturus, de παχυτάταις τῶν φλεβῶν sermonem faciens, (qua appellatione Praxagoram aortam insigniisse Rufus testatur [11]), veterem illum locum Diogenis Apolloniatis et Polybi repetit de quatuor paribus venarum. Mireris autem in eo ipso loco, quod, cum Polybus in dorsi coxendicisque doloribus venam in poplitibus et ad malleolos esse secandam iubeat, noster et aliud additamentum transscribat, sanguinem nimirum e remotissimis a parte affecta locis esse mittendum, ne amplius eo colligantur. Quod praeceptum quam adversum sit Hippocraticae methodo, vel inde proficiscitur, quod in libro de victus ratione in acutis morbis diserte docetur, in pleuritide venam cubiti esse se-

---

4) Hippocrat. de oss. nat. p. 513. ed. Kühn. 5) Ib. p. 516. 6) Galeni expos. voc. Hipp. p. 506. ed. Franz. 7) Hippocrat. de oss. nat. p. 504. 518. 8) Ib. p. 520. 521. 9) Platon. Tim. p. 492. 500. 10) Galen. different. puls. 4. p. 702. ed. Kühn. 11) De appellat. part. p. 42.

candam [12]). Illam vero regulam an prior aliquis Aretaeo dederit [13]), magnopere dubito.

Postquam multa intellectu difficilia confuso modo de venarum arteriarumque distributione et de *τόνοις*, seu ligamentis protulerat, repente de venis, *πνεῦμα καὶ ῥεῦμα καὶ κίνησιν παρεχούσαις*, loquens, unam esse ait venam, quam qua nascatur quaque terminetur, se plane nescire. *Κύκλου γὰρ γεγνημένου ἀρχὴ οὐχ εὑρέθη*. Quid hoc sibi? Adeone is garrulus et infrunitus scriptor circulum sanguinis cognoverit? Minime gentium! Ante enim ortum arteriarum venarumque e corde iecinoreque statuens, iam sibi ridiculo modo contradicit, ut facile sentias, ipsum semet haud intellexisse, et lectoribus acclamare illud: *Λάβε μηδὲν καὶ κράτει καλῶς*.

Operam profecto et oleum perdiderit, qui ineptias omnes huius *ἀγγειολόγου* aperire voluerit. Persuasum enim habeo, eum e variis scriptoribus compilasse varia, quae ad vasorum historiam pertinere viderentur, quaeque ipse haud scienter caperet.

Sed omittenda haud sunt duo loca insignia, quorum alter initio vesicas seminales tangit, alter de tuberculis pulmonum agit. Ille sic habet: *Τὸ δὲ σπέρμα οἷον κηρίον ἑκατέρωθεν τῆς κύστιος· ἐκ δ' αὐτῶν φλέβες ἑκατέρωθεν τοῦ οὐρητῆρος ἐς τὸ αἰδοῖον τείνουσι*. Inde sine dubio elucet, vesicas seminales, quas cum favis confert, vel ipsi vel ei auctori, e quo haec mutuavit, omnino fuisse cognitas. Nec ductus deferentes eum latuerunt, cum venarum nomine utrinque in urethram abire doceat. *Οὐρητῆρος* autem nomine antiquitus urethram significari, probatur e Coacis praesagiis [14]).

Locus memorabilis de tuberculis aut scirrho pulmonum ita comparatus est, ut e peregrinis rebus in pulmones illapsis ac remanentibus nasci *πῶρον* dicat, a quo spirituum difficultates pendeant [15]). Et hanc observationem instituere et vesicarum seminalium naturam auctor is sine cadaverum sectione cognoscere plane haud potuit.

Quae cum ita sint, luce meridiana clarius apparet, rudem hanc molem ac farraginem informem Galeni tempore *τῷ μοχλικῷ* adscriptam, post Galeni aetatem ab inscio scriba separatam et inscriptione hodierna, inepta ea, donatam fuisse. Persuasissimum habeo, maximam et huius et illius additamenti, quod ad librum de natura humana accessit, partem iam florente schola Alexandrina conflatam esse. Namque cum Aegyptii et Pergameni reges mirum in modum in acquirendis veterum scriptis aemularentur, adlecti sunt pretiis immensis avari impostores, dialecti ionicae gnari et in scriptis medicis probabiliter versati, ut pecu-

---

12) Hippocrat. de victu acut. p. 38. ed. Kühn. 13) Aretaeus curat. acut. I, 10. p. 89. 90. ed. Boerhaav. 14) Coac. praenot. p. 312. ed. Kühn. 15) L. c. p. 515.

niam regibus evellerent. Si qui ingenio pollerent et scientia, ipsi composuerunt commentarios, quibus, ut eo pluris venderentur, Hippocratis nomen inscripserunt. Quodsi vero doctrina expertes essent, pannos tamen assuere Hippocraticis libris, ut cum volumine pretium augeretur, haud erubuerunt [16]). His fraudibus excitatum tandem est studium criticorum, qui Alexandriae degebant, quosque *χωριζόντας* appellitarunt, quod segregare genuina veterum scripta a spuriis consuerant. Satis tamen agentium labores frustratus est scientiae defectus. Plura enim volumina in *μικρῷ πινακιδίῳ* collocabantur, quam quae iure genuina haberi possent.

Accessit temeritas, imo impudentia librariorum, Artemidori Capitonis et Dioscuridis, qui, Adriano Imperatore, ad lubitum Hippocratis libros et mutarunt et variis additamentis inquinarunt [17]). Nec possum, quin in eam sententiam abeam, Artemidorum locum eum de vena remotissima secanda ex Aretaeo, tempore aequali vel paullo antiquiori, mutuo accepisse, quemadmodum iam prius Mnemon Pamphilius, Ptolemaeorum aetate.

Dictio est, qualis e disiectis membris existere poterat, pressa, confusa, ingrata, salebrosa, insolentibus verbis plena. Ea autem insolentia verborum antiquitatem simulare maiorem compilatores studuerunt.

XVI.

DE NOVA DIOSCORIDIS EDITIONE RATIONEM REDDITURUS,

IUV. ORN. PHOEBI MAURITII PHILIPPSOHN, DESSAVIENSIS, DISPUTATIONEM PUBLICAM D. XXII. MART. MDCCCXXVIII HABENDAM INDICAT.

Novae editionis, quam molior, rationem redditurus, tum de nomine auctoris, patria ac aetate, tum de codicibus, editionibus commentariisque exponere plura liceat, quae tantum abest ut tritissima sint, ut potius soli penitiori studio patefiant.

Ut protinus a nomine *Διοσκορίδου* ordiar, scribitur id a variis medii aevi auctoribus *Διοσκουρίδης*. Ita apud Photium

---

16) Galen. comm. II. in libr. de nat. hum. p. 16. 17. ed. Basil.
17) Galen. comm. I. in libr. de nat. hum. p. 4. comm. I. in libr. VI. epid. p. 442.

cod. 178. et Suidam voc. h. occurrit. Non falsum tantummodo est scripturae genus, sed commutationi cum Dioscuride illo etiam ansam praebet, qui Adriano imperante, una cum Artemidoro Capitone Hippocratis libros temere turpiterque deformavit. Commutatur et noster ab ipso Suida cum Dioscoride Phaca, Cleopatrae tempore aequali, quem, Alexandrinum, Herophili sectae addictum, bene distinguunt Galenus [1]), Erotianus [2]) et Paullus Aegineta [3]). Cum ipse Alexandrinus, teste Galeno, et *ὀνομασίας φαρμάκων* scripserit, eo facilius commutari potuit cum nostro, nisi patria addita. Sed tertius accedit ejusdem nominis, quem *γλωττογράφον* Galenus vocat, patrum suorum memoria vixisse, multaque exscripisse ex ipso nostro Dioscoride testatur [4]). Fueritne hic idem cum *διασκευάστῃ* temerario Hippocratis, Artemidori Capitonis socio, ambigitur.

Praepositum Dioscoridi nomen in codicibus plerisque, ut in ipso Photio, *Πεδάνιος* scribitur, omittitur vero a Galeno et quotquot ad Paullum usque Aeginetam eum allegant. Scriptura *Πεδάκιος* in Aldino codice obvia dein recepta est a cunctis editoribus.

Ut melius distinguatur, a patria dicitur *Ἀναζαρβεύς*. Anazarbus autem, Ciliciae *πεδιάδος* oppidum [5]), negotium facessit aetati Dioscoridis, si Suidae fidem habemus. Is enim, Nervae tandem tempore, id nomen oppido datum fuisse narrat. Eum vero errorem optime aperuit Wesselingius (in not. ad itinerar.)

Sed dicit Galenus etiam *Διοσκορίδην Ταρσέα*, nostrumque intellexisse ex eo patet, quod Ario Asclepiadeo tradat Dioscoridem formulam medicamenti, quo sanguis sistatur, dicasse [6]). Sed difficultatis haud parum gignit et hic Galeni locus, quando in euporistis quidem Dioscoridis (I, 210.) gypsus et chalcitis, quae ingrediuntur eam formulam, tanquam haemostatica, commendantur, deest vero ea formula. Attamen haud alienum Tarsensem a nostro existimandum est, cum Tarsus Ciliciae *πεδιάδος* metropolis fuerit, ultra 50 milliaria Romana ab Anazarbo non remota [7]). Cum Tarsus esset bonarum artium sedes, in omni Asia celeberrima, probabili consequimur coniectura, Dioscoridem nostrum in ea florentissima metropoli ad litteras instructum fuisse.

Arduum dein est ac negotii plenum de aetate Dioscoridis aliquid certi pronunciare. Divinanda autem est aetas vel ex ipsis auctoris locis vel e testimoniis alienis. Primus locus satis memorabilis in ipsa exstat praefatione; quippe Arii Asclepiadei, cui opus suum dicat, consuetudinem praedicat cum Lecanio Basso, quem *κράτιστον ἄνδρα* vocat. Quamquam in vulgaribus edi-

---

1) Exposit. voc. Hippocrat. prooem. p. 402. s. v. *Ἰνδικά*. p. 484. ed. Franz. 2) Exposit. voc. Hippocrat. prooem. p. 8. s. v. *φωναὶ κατέλλουσαι* p. 382. 3) Lib. IV. c. 24. p. 142. ed. Basil. graec. 4) L. c. p. 402. 5) Veter. Romanor. itinerar. p. 212. ed. Wesseling. 6) Galen. de compos. gen. lib. V. c. 15. p. 857. ed. Kühn. 7) Strabo lib. XIV. p. 701. ed. Tzsch.

tionibus *Λικινίου* legitur, *Λικανίου* tamen, quod Aldinus codex et alter in bibliotheca Palatina Vindobonensi, quem X. designavi, habent, acceptius est, quia idem nomen et apud Tacitum [8]) et apud Plinium [9]) occurrit. Quodsi Lecanius idem est, qui, Nerone imperante, anno aerae nostrae 65, consul fuit, et quem consularem virum anno fere 70 obiisse refert Plinius, Dioscorides vixisse Neronis aetate omnino videtur.

Quod Arium illum attinet, non desunt, qui eundem habeant cum Ario philosopho, quem Augustus contubernio dignatus esse dicitur [10]). Id vero neutiquam cum temporum rationibus congruere palam est, si modo reputaveris, Augustum iam aerae nostrae anno 14 decessisse.

Itaque dubitari fere nequit, Dioscoridem Neroni, Tacito et Plinio tempore aequalem fuisse, neque temere egerit, qui Plinii verba [11]): „hanc esse sententiam eorum, qui nuperrime scripserint", cum, quae de schisto dicat e Dioscoride verbo tenus sumta sint, de Dioscoride nostro intelligat. Neque tamen ullo modo exponi potest, cur Plinius, qui fontes, e quibus hauserit, plerumque indicat, nusquam tamen Dioscoridis meminerit.

Id saltem exploratum habemus, Galenum testimonium idque honorificentissimum de Dioscoride pronunciasse, cum ipse videretur *τελειότατα πάντων τὴν περὶ τῆς ὕλης τῶν φαρμάκων πραγματείαν ποιήσασθαι* [12]). Nec negligenda sunt, quae aliis locis idem Galenus ad commendandum Dioscoridis studium scripsit [13]), ut quanti eum fecerit, patescat.

Quodsi ipsius operis formam et dictionem spectamus, forma quidem in variis codicibus varia deprehenditur. Etiamsi enim ipse auctor in praefatione eos taxat, qui *κατὰ στοιχεῖα ἀναγράψαντες* genera viresque plantarum a sua cognatione disiunxerint, optimi tamen codices, in quibus primos fere tenent constantinopolitanus iuxta ac neapolitanus, alphabeticum servant ordinem; parisinus contra, quem in Aegypto scriptum autumat Montefalconius, quique ob accentus spiritusque adiunctos decimo utique saeculo vetustior haud videtur, ea serie plantas ac medicamenta enumerat, quam et in Aldino codice deprehenderis, ad quem, tanquam ad exemplar, conformanda esset editio, observamus [14]).

Scriptionis genus in Dioscoride licet omnino alienum sit a cultu politioris sermonis, quem vel in Luciano miramur, cuius etiam vestigia in Galeno, numerose utique orationem fundente,

8) Annal. lib. XV. c. 33. 9) Histor. natural. lib. XXVI. c. 4. 10) Sueton. Octavian. c. 89. Plutarch. Anton. c. 80. Lambec. comment. bibl. vindob. II. p. 559. 11) Lib. XXXVI. c. 37. cf. Dioscorid. lib. V. c. 145. 12) Galen. de simpl. medic. facult. lib. VI. p. 194. ed. Kühn. 13) Galen. de antidot. lib. I. p. 61. 63. ed. Kühn. 14) Montfaucon palaeograph. graec. p. 259.

deprehendimus; nusquam tamen veros Cilicismos aut Soloecismos observare licet. Quamquam enim et ipse excusatione deprecetur, se non ubique *τὴν ἐν λόγοις δύναμιν σκοπεῖν*; quamquam et Galenus asserat, Dioscoridem ignorare *τὰ σημαινόμενα τῶν ἑλληνικῶν ὀνομάτων* [15]); profecto nescio, quo iure ea criminatio defendi possit. Paucae sunt voculae Dioscoridi familiares, quae in probatissimis scriptoribus non occurrant, paucae copulationes verborum aut coagmentationes, quas regulis grammaticis conformes haud esse pronunciaveris [16]). Singulare utique puto, Dioscoridem ad augendum superlativum *ὡς ὅτι* simul praeponere, cum alterutrum suffecisset. Nec tamen id barbari aliquid sonat.

Accedamus ad codices manuscriptos, quorum antiquissimos habeo et constantinopolitanum et neapolitanum, utrumque in bibliotheca vindobonensi asservatum. Illum nimirum scriptum fuisse Iulianae Aniciae iussu, quae imperatoris Olybrii filia, neptis fuit Valentiniani III., ipse librarius disertis verbis asserit; congruente etiam scripturae genere, quod solis literis uncialibus, citra omnes accentus spiritusque, insigne est. Alter est neapolitanus, antiquitate illi par, ni prior [17]). Sed hic et mancus est et minime satis scienter scriptus. Tertius est, cuius meminit et Lambecius [18]), et Fabricius [19]), Palatinus et a Sambuco et a Saraceno dictus. Trium eorum codicum copiam benigne mihi fecit Weigelius, medicus Dresdensis, vir literarum graecarum doctissimus ac humanissimus, qui, dum Vindobonae triginta abhinc annis degeret, sedulo eos codices vel transscripsit, vel contulit cum vulgari Saraceni editione.

Egregii fuerunt codices, quos et Marcellus Vergilius Florentinus et Andreas Lacuna Segoviensis sequebantur: hic praeprimis non paucas solvit difficultates. Nec sine laudibus dimittendi tum is, quem Anguillara consuluit, idem forte cum eo, qui in bibliotheca Marci veneta servatur, tum, quem a Michaëli Cantacuzeno mutuo acceptum Saracenus saepe citat. Minoris facio parisinum eum, quem Montefalconius descripsit, quamvis nonnulla loca melius scripta habeat, quam alii.

Praeter codices adminicula in recte legendo Dioscoride intelligendoque insignia praebent veteres auctores, qui eo usi sunt: Plinius nimirum, Galenus, Oribasius, Aëtius et Paullus Aegineta, siquidem his saepe plus fidendum est, quam

---

15) Galen. de facult. simpl. med. lib. XI. p. 330. 16) Cum lib. I. c. 168, Dioscorides dicat: *φασὶ δέ τινες ὅτι κἂν συνεψήσῃ τις ἀχράδας μύκησιν, ἀβλαβεῖς αὐτοὺς γίνεσθαι*, veritus est Saracenus, ne detrimenti grammatica aliquid experiatur. Neque tamen sine exemplo est, imo in Platone saepius occurrit, post *ὅτι* sequi accusativum cum infinitivo. Platon. Phileb. p. 161. ed. Gryn. *οἶμαι — ὅτι τὸ μόνον — εἰλικρινὲς εἶναι γένος*. 17) Montfaucon p. 212. 18) Comment. bibl. vindob. lib. II. p. 597. 19) Bibliothec. graec. vol. IV. p. 686. ed. Harles.

codicibus, veraque lectio ex iis restituenda. Magni aestimandus inprimis Oribasius, quia saepe ad verbum Dioscoridis capita reddit. Generatim vero dolendum, quod Photius iam bene monuit, hos scriptores in solo plantarum medicamentorumque usu exscribendo sibi placere, formas vero externas, in quibus multus est Dioscorides, omittere. Nec plane spernendus est Serapion, ut iam Saracenus animadvertit [20]), qui ad finem vergente saeculo decimo vixisse videtur. Cum tamen aliter legere Dioscoridem nequiverit, quam in interpretatione arabica, quam Nestoriani, Honaini exemplo Isaaci filii, elaborarunt; cum ipsum Serapionem arabice scribentem, nonnisi in versione latino-barbara Abrahami Iudaei Tortosani cognoscamus, cautissime est ad exponendum Dioscoridem adhibendus.

Iam ad seriores properandum est interpretes et editores Dioscoridis, quorum primi, Hermolaus Barbarus et Marcellus Vergilius, statim post renatas literas, et Plinium et Dioscoridem castigarunt. Marcellus, licet rei herbariae fere rudis, bonum tamen codicem legit, varia loca corrupta restituit, plura emendavit [21]). Tempore fere aequalis Io. Ruellius Suessionensis, interpretationem latinam bene scriptam edidit, quam posteri emendatam repetierunt. Cum tamen codice parisino solo, eoque mutilo, uteretur, non potuit non saepe hallucinari [22])

Interea et textus ipse ad bona exemplaria integer editus est ab Aldo Venetiis 1499. fol. quam principem editionem haud presse sequuntus est Franc. Asulanus Venet. 1518. 8. Neque tamen et huic editioni laus est deroganda, cum Hieronymus Roscius, medicus Patavinus, cui inscriptus est liber, codicem emendatissimae lectionis a Nicolao Leoniceno sibi commodatum eo consilio adhibuerit, ut variis locis medelam applicaret, unde hanc editionem necesse est magni habeamus.

Tum et Ianus Cornarus opem Dioscoridi attulit, sat mediocrem in editione graeca [23]), etiamsi glorietur, nullum auctorem graecum emendatiorem ac maiore diligentia excusum in Germania prodiisse; multo insigniorem in interpretatione latina [24]), cui adiunxit coniecturas haud vilipendendas et illustrationes vocum rerumque, quibus etiamnum uti possumus.

Editio, quam Iacobus Goupylus curavit [25]), commoda est nec parvi aestimanda, cum ad fidem codicum parisinorum varia loca castigaverit et emendaverit.

Praeprimis vero commendandum Andr. Lacunae, Segoviensis, qui dein pontificis maximi Iulii III. archiater palatinus fuit, studium. Is enim acceptum a Io. Paceio Castrensi

---

20) Comment. ad Dioscor. lib. I. cap. 123. 21) Prodiit eius Dioscorides primo Florentiae 1518. fol. saepe recusus. 22) Prodiit eius versio Paris. 1516. fol. saepe recusa. 23) Prodiit Basil. 1529. 8. 24) Prodiit Basil. 1557. fol. 25) Prodiit Paris. 1549. 8.

antiquissimum codicem ita perscrutatus est, ut versionem Ruellii potissimum corrigeret, textum castigaret, genuinam restitueret lectionem. Breviter ac succincte id in parvo libello primum [26]), fusius dein in interpretatione hispanica fecit [27]).

Petr. Andr. Matthiolus, rei herbariae peritissimus vir, minus textui repurgando invigilavit, minus etiam interpretationi meliori, quam fere e Ruellio repetiit, quam illustrandae rei herbariae ipsi [28]). Quamquam saepe fallatur, scientia ipsius italicarum plantarum tanta tamen fuit, ut lucem haud mediocrem multis locis affundat.

Consulendus etiam Antonius Musa Brasavolus, medicus principis Estensis Ferrariae, qui plantas multas Dioscoridis ex *αὐτοψίᾳ* illustravit, textu tamen neglecto [29]).

Opusculum Ludovici Anguillarae rarissimum, ante me a nemine fere, si ab Hallero recesseris, lectum [30]), utilissimis plenum est annotationibus, cum auctor per Italiam omnem, Illyriam, Macedoniam ipsam et Graeciam plantas collegerit, comparatas cum Dioscoridis descriptionibus. Nihilo minus temeritatis saepe arguendus est, cum lectiones nonnullas magis perverterit quam emendaverit.

Iam sequitur eximius vir Io. Antonius Saracenus, Lugdunensis, cuius opera in Dioscoridem collata, tum a textus emendatione, tum ab illustratione difficilium locorum magnopere laudabilis est. Sedulitate summa odoratus est omnes fere, praeter vindobonenses, quos fere non cognovit, codices; sagacitate rara saepe divinavit veram lectionem, etiamsi *ἀβοτανολόγητος* fuerit, in eo quoque taxandus, quod plerumque codices haud significanter indicat, quos sequuntus sit [31]).

Tandem et Claud. Salmasius [32]) et Thom. Reinesius [33]) studia impenderunt in Dioscoride illustrando, eruditissimus uterque, tamen rei herbariae ignarus. Quinetiam cum Salmasius semet ipsum cum Plinio comparet, ut huius cognitionis defectum excuset, haud scio an arrogantiae dandum sit, quod exclamet: „Sed haec viderint *ἰατροβοτανεστῶν παῖδες!*" Multa tamen insunt, e quibus Dioscoridis textus lucem accipit.

His potissimum adminiculis instructus, Dioscoridem iam viginti abhinc annis aggressus sum, cum in historia rei herbariae plantas ipsius illustrarem. Dein in interpretatione Theophrasti et annexo commentario 1822 editis, me alacri studio perrexisse

---

26) Annotationes in Dioscoridem Anazarbeum. Lugd. 1554. 16. 27) Dioscoride de la materia medicinal. Salamanca 1563. fol. Madrid. 1733. fol. 1752. fol. 28) Prima editione Venet. 1569. fol. quam Valgrisianam vocant, plerumque utor. Perfectissima est Basil. 1674. fol. studio H. Bauhini. 29) Examen omnium simplicium Lugd. 1537. 8. 30) Semplici. Vineg. 1561 8. 31) Prodiit Frcf. 1598. fol. 32) Plinianae exercitationes. Traj. ad Rhenum 1689. fol. 33) Variarum lectionum libri III. Altenb. 1640. 4.

probavi. Iam vero experiar, quid valeam in arduo eo ac operoso labore, nec deterreor scientiae aut virium tenuitate, cum plurima iam opera suscipere meminerim, quibus et par esse verebar, quae tamen, si aliorum iudicio fides habenda, vel probabiliter patravi.

XVII.

IN REDDENDA DIOSCORIDIS DENUO EDENDI RATIONE PERGENS,

IUV. ORN. COSMI THEODORI HIRSEMANN, SAXONIS BORUSSI, DISPUTATIONEM INAUGURALEM DIE XXI. IUN. MDCCCXXVIII HABENDAM INDICIT.

Cum nuper, commendandi Philippsohnii gratia eiusque inaugurandi, auspicarer edendi denuo Dioscoridis rationes reddere, non potui pristinas recensere editiones, in quibus Aldina princeps, licet optima, adeo rara tamen videtur, ut, aditu quippe difficillima, a nullo prorsus editore consulta, oblivioni tradita sit. Etenim et Aldi gener, Franciscus Asulanus, qui, Hieronymo Roscio adiuvante, secundam curavit editionem, undeviginti annis post Aldinam, novas fere lectiones introduxit, earum paene oblitus, quas socer elegerat, eamque Asulani editionem ipse Saracenus nusquam non, tanquam veram Aldinam, citat. Nec Marcellus Vergilius, nec Cornarus, nec, qui codices tantummodo parisinos adhibuit, Goupylus, principis editionis mentionem faciunt; et, si quando Saracenus meliorem auguratur lectionem, eadem ipsa est, ab Aldo iam collocata et in textum, fide codicis, recepta.

Idem fere valet de codicibus vindobonensibus, constantinopolitano nimirum, neapolitano, vetustissimis et tertio quem X. signo notavi. A nemine fere consulti sunt, praeter Sambucum, qui, additis suis coniecturis haud satis laudabilibus, lectiones ex iis codicibus cum Saraceno communicavit, neque tamen id nisi obiter et sine signatis exemplaribus fecit: unde ad marginem Saraceni, ubi al. ponitur, intelligendus est codex e vindobonensibus unus.

Quod interpretes veteres attinet, Plinio plerumque fidei parum tribuo, quod, cum nusquam Dioscoridem nominet, incerti sumus, ipsius an aliorum, Cratevae praeprimis, e quo multa Dioscorides hausit, verba referat. Dein quoque, ubi verbotenus interpretari Dioscoridem videtur, obiter et quasi per transennas lecta saepissime fugitivo calamo scripsit, aut notario, cuius manus

hieme manicis muniebantur, dictavit [1]). Oribasio plus fidendum, quamquam nec is probatissimas semper lectiones sequatur. Serapion a nonnullis capitibus abstinuit, nomina propria et innumera alia mire corrupit et deturpavit [2]), plura tamen egregie interpretatus est. Cuius exempla pauca proferam:

Lib. II. c. 131. *Περὶ ὀρόβου.* Legitur in omnibus exemplaribus: *Βοῦς δὲ λιπαίνει ἑφθὸς παρατιθέμενος.* Serap. c. 33. „Et quando boves eum comedunt, impinguantur." Ergo nulla cocti ervi vestigia. Iam supra dicitur: „*Ὄροβον εἶναι κοιλίας ταρακτικὸν, εἰ βρωθείη.*" Hoc itaque *εἰ βρωθείη* existimo esse post *λιπαίνει* ponendum, *ἑφθὸς παρατιθέμενος* vero post *ταρακτικόν*, cum homines cocto, boves crudo vescantur ervo.

Lib. II. c. 144. *Περὶ μαλάχης.* Legitur vulgo: *Δύναμιν δὲ ἔχει τὰ φύλλα ὠμὰ καταπλασθέντα καὶ μετ' ὀλίγων ἁλῶν μασσηθέντα.* Serap. c. 149. „Et quando folia masticantur, et fit emplastrum cum eis pauco sale." Ald. *τὰ φύλλα ὠμὰ μασσηθέντα καὶ μετὰ ὀλίγων ἁλῶν.* Optime ergo congruit cum Serapione et cum ipsa rei ratione. Prius enim manducanda sunt folia, quam cataplasma ex iis paretur.

Lib. II. c. 146. *Περὶ κράμβης.* Legitur in codicibus plerisque: *μίσγεται δὲ καὶ εἰς ἀντιδότους κοιλιακάς.* Serap. c. 32. „et ipsum ingreditur in compositione tyriaca." Hinc iam bene Marcellus loco *κοιλιακὰς* posuit *θηριακάς.*

Lib. II. c. 148. *Περὶ κράμβης θαλασσίας.* Ad finem legitur in omnibus: *διὰ τὰ λιπαρὰ τῶν χριῶν*, quod e Serap. et codd. constantinop. et neapol. in *κρεῶν* facillime mutavi.

Lib. II. c. 154. *Περὶ σίου.* Legitur vulgo: *πόα θαμνοειδὴς, ὀλίγη, ἔχουσα φύλλα περιφερῆ.* Serap. c. 323. „Habet folia pauca rotunda": Sic et Aldina et codd. vindob. *πόα θαμνοειδὴς, ὀλίγα φύλλα ἔχουσα.*

Innumera eiusmodi exempla omittens transeo ad Aldinae principis, quam praedicavi, praestantiam, cuius exempla in promtu sunt:

Lib. II. c. 160. *Περὶ σέρεως.* Legitur in editionibus omnibus: *ὁ χυλὸς αὐτῶν ἐπίχρηστος.* Marcellus et sequentes interpretes omnes de inungendo succo loquuntur; Saracenus addit: forte rectius *ἐπίχριστος.* Sic autem manifesto scribitur in Ald.

---

1) Plinii iun. epist. III, 5. 2) Negotium saepe facessit corruptio nominum apud Arabas vulgaris. Sic lib. II. c. 196. insulae *Γυμνῆτες* (quas *Γυμνησίας* Strabo vocat) A m e n i d a e vertuntur. Interpres enim latinobarbarus (Abraham Tortosensis Iudaeus) legit عمنتي loco غمنتي unico puncto omisso. Ib. c. 204. vulgaris lectio *Μαργαρίτας* in *Μαρμαρίδας* ex Plinio iam mutavit Marcellus. Sic et legit Serapion. Sed interpres, commutato مرمريت cum بربريت vertit g e n t e s b a r b a r a s. Sic lib. III. c. 43. loco زغس (*ζυγίς*) legit رغس et vertit r a g i s.

Lib. II. c. 161. *Περὶ χονδρίλλης.* Legitur ubivis *κόμμι ὅμοιον μαστίχῃ*, sed sequentia omnia plurali numero. Quod animadvertens Saracenus coniecit *ὅμοια*, nec tamen in textum recipere ausus est. Si consuluisset Aldinam, *ὅμοια* veram lectionem esse vidisset.

Lib. II. c. 162. *Περὶ κολοκύνθας,* Legitur: *κεράσας τε πίῃ νῆστις*, quam Asulanus lectionem et Marcellus primi habent. Lacuna legerat *δώῃ πιεῖν*, quod Saracenus e veteri (quonam?) codice ad marginem ponit. Sed Aldina manifesto *δοίῃ πιεῖν*.

Lib. II. c. 176. *Περὶ σμίλακος.* Legitur ubivis: *καρπὸν φέρει ὅμοιον τήλει, μακρότερον δὲ καὶ ἐπισημότερον*, cuius loco ponendum ex Aldina *ἐπισωμότερον*, ut carnosior indoles leguminum phaseoli quam foeni graeci patescat.

Lib. II. c. 179. *Περὶ πράσου.* In omnibus, praeter Aldinam, legitur, (*ὁ χυλὸς τοῦ πράσου*) *σὺν μέλιτι ἀντὶ ἐκλεικτοῦ ποιεῖ καὶ πρὸς φθίσεις βρωθέν.* Hoc *βρωθὲν* plane absurdum nec cum *χυλῷ* congruum penitus abest ab Aldina.

Lib. III. c. 48. *Περὶ μελιλώτου.* Asulanus et Marcellus *ἐν Καλχηδόνι* habent, quod Cornarus, Goupylus et Saracenus in *Χαλκηδόνι* mutant, neglectis Oribasio, codicibus vindobonensibus et Aldina editione, in quibus *Καρχηδόνι* est.

Lib. III. c. 58. *Περὶ λιγυστικοῦ.* Legitur in Asulan. et sequentibus editionibus *παρὰ τοῖς διώρυξι.* Aldina contra cum codice neapolitano habet *παρὰ τοῖς ῥύαξι*, quod multo aptius.

Lib. III. c. 87. *Περὶ λιβανωτίδος.* Lectionem vulgarem *εἰς τὰ ἀποστήματα χρῆσθαι δεῖ* falsam esse inque *ποτήματα* mutandam, divinavit Saracenus, propter interpretum consensum. Sed Aldina manifesto habet *εἰς τὰ ποτήματα.*

Haec pauca ex ingenti exemplorum numero. Iam nonnulla e codicibus vindobenensibus adducam, quae, quam digni sint, ut consulantur, docent:

Lib. II. c. 158. *Περὶ κορωνόποδος.* Vulgo legitur *κατεσχηματισμένον τὰ φύλλα.* Cum interpretes autem, a Marcello inde, folia incisuris divisa habeant, Saracenus auguratur esse *κατεσχισμένα* legendum, quam lectionem habet cod. constantinop.

Lib. II. c. 171. *Περὶ ὠκίμου.* Legitur vulgo: *Λίβυες δὲ προσειλήφασιν, ὅτι οἱ φαγόντες αὐτὸ καὶ πληγέντες ὑπὸ σκορπίου, ἄπονοι διαμένουσιν.* In cuius loci interpretatione Saracenus etiam eo falsus est, quod *προσλαμβάνειν* in cibum recipere habeat, cum addere signet. Error autem insignis est in *ἄπονοι διαμένουσιν*, cum et Plinius et Serapion vertant: servari eos non posse. Iam vera lectio in cod. const. apparet: *ἄσωστοι διατίθενται*

Lib. II. c. 178. *Περὶ ἀφάκης.* *Σπερμάτια μεγάλα* dicuntur in omnibus editionibus: ex Plinii et interpretum consensu autem *μέλανα* legendum esse credit Saracenus. Quam lectionem habet cod. et const. et neapolit.

Lib. II. c. 179. *Περὶ πράσου.* Ubi: *ὁ δὲ καρπὸς δριμύτερος* legitur, Saracenus *τὸ δὲ καρτὸν* (sectivum nempe porrum) *δριμύτερον* legendum esse auguratur. Sed habet veram hanc lectionem cod. constantinp.

Lib. II. c. 182. *Περὶ σκορόδου.* Ald. et Asulan. habent (*δύναμιν ἔχει*) *καὶ ἐπιφανείας ὀμμάτων ἀμβλυωτικήν.* Goupyl. e codice addit: *καὶ ἐπιφανείας σωμάτων.* Sarac. *ἑλκωτικὴν ἐπιφανείας, ὀμμάτων ἀμβλυωτικήν.* Cod. const. *ἑλκωτικὴν τῶν ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ σωμάτων.* Ibidem *τὸ τρίμμα, καλούμενον δὲ μύρτον*, esse *μυττωτόν* legendum, Saracenus e Galeni explanatione vocum Hippocratis coniecit. Sed uterque codex vindobonensis habet *μυρτωτόν.*

Lib. II. c. 188. *Περὶ ἐρυσίμου.* Vulg. (*ὠφελεῖ*) *σκληρίας, παρωτίδας, διδύμων καὶ μαστῶν φλεγμονάς.* Codd. constantin. et neapol. multo aptius: *σκληρώματα παρωτίδων καὶ μαστῶν, καὶ διδύμων φλεγμονάς.*

Lib. II. c. 210. *Περὶ κισσοῦ.* Vulgo: *μελαίνουσι δὲ καὶ τὰς τρίχας οἱ κόρυμβοι· καταπλάσσεται δὲ τὰ φύλλα.* Cod. const., neapolit. et ipsa Aldina: *οἱ κόρυμβοι καταπλασσόμενοι. Τὰ δὲ φύλλα πρὸς πᾶν ἕλκος ποιεῖ.* Paullo post: *ὁ μόσχος δὲ τῶν φύλλων* deesse dicitur Saraceno in codice byzantino; sed adest omnino et in ipso et in neapolitano, deest solummodo in cod. X.

Lib. III. c. 14. *Περὶ ἀκάνθας λευκῆς.* Vulgo: *δακτύλου τοῦ μεγάλου ἢ καὶ μείζονος πάχος.* Cod. const. *δακτύλου τοῦ μεγάλου πάχος, ἢ καὶ μείζονα* (*καυλόν*).

Lib. III. c. 29. *Περὶ ἀβροτόνου* et c. 31. *περὶ στοιχάδος*, ubi plantae *λεπτόκαρποι* vulgo dicuntur, *λεπτόκαρφον* habet cod. neapol., quae lectio Oribasii et Serapionis consensu firmatur.

Lib. III. c. 37. *Περὶ δικτάμνου.* Planta dicitur vulgo *λεία*, quod, contrarium *τοῖς φύλλοις γναφαλώδεσι καὶ ἐριώδεσι*, tolerari nequit. Cod. const. cum Serapione habent loco *λείας, λίαν* quod cum *δριμεῖα* apte copulatur.

Lib. III. c. 72. *Περὶ ἱερακίου τοῦ μεγάλου.* Ubi editiones (*ὁ δὲ χυλὸς*) *δηγμὸν πραΰνει* habent, cod. C. recte adiicit *δηγμὸν στομάχου.*

XVIIII.

VINDICATIONIS SPECIMEN, PER QUAM PROPULSANTUR CONTUMELIAE AC INIURIAE AB AVICENNA.

PROLUSIO, QUA ANTON. HENR. THEOD. ROTH, OLDENBURGENSIS, D. III. APRILIS MDCCCXXX EX DECRETO FACULTATIS HONORIBUS IN MEDICINA AC CHIRURGIA SUMMIS PUBLICE ORNATI, COMMENTATIONEM DE PHTHISI EPIGLOTTIDIS INAUGURALEM COMMENDAT.

Cum saeculo decimo quinto et magis etiam sexto literae humaniores renascerentur, scholae medicorum, quae ad eam usque aetatem Arabum, inprimis Avicennae, praeceptis obtemperarant, iam repertis Graeciae antiquae monumentis multo maiorem habere fidem coeperunt, ac si quae sententiae aut si qua praecepta Arabum a Graecorum dictis ac opinionibus deflectere viderentur, ad Graecos potius, tanquam ad limpidissimos semet convertere fontes maluerunt, quam Arabibus adhaerere, quos turbidos velut rivulos considerare consuerunt. At vero, cum id temporis literae orientales paucos duntaxat invenissent cultores, cum praeter Petrum Complutensem et Guilielmum Postelum nemo vel grammaticas eius linguae rationes explicasset, vel vocum divitias in lexico divulgasset, nec critici studii ulla esset ante Thomam Erpenium cognitio; plerique, ni omnes eius aevi reformatores, arabicae linguae ignari, e latinobarbaris potissimum Arabum interpretationibus, cum textu genuino commutatis, illos scriptores refutare conabantur. Ea fuit frequentissima hallucinationum caussa, inde profecta sunt tot dissidia, quae compositu facilia fuissent, si tum textum genuinum reformatores ante oculos habuissent, tum linguae arabicae usu calluissent. Nec meliorem aut scientiorem uspiam Avicenna interpretem sortitus est Gerardo Cremonensi, qui saeculo duodecimo omnem propemodum vitam in Hispania Mauris subiecta Arabum libris medicis interpretandis vovit. Eius versionem Avicennae ab anno inde 1473 saepissime impressam, ab Andrea Alpago Bellunensi tandem revisam et probabiliter emendatam omnes citant, qui Avicennae praecepta saeculo decimo sexto impugnarunt. Fuit in iis post Nicolaum Leonicenum acerrimus Leonardus Fuchsius, professor Tubingensis. Is, quod disertis ipse fatetur verbis, internecino prorsus odio Avicennam ceterosque Arabas persequens, P a r a d o x a m e d i c a [Basil. 1535. Francofurti ad Moenum 1567. fol.] eo potissimum consilio scripsit, ut pleraque simplicia fuisse male ab

Arabibus intellecta ostenderet, ideoque nullam certam posse ex iis plantarum officinalium notitiam hauriri doceret. Quam parum fausto id omine factum sit, expositurus, lectorem protinus moneo, ut in memoriam revocet infensam animi indolem, quam omnes Fuchsii aetate aequales ipsi obiectant, ut sine odio et invidia, absque litigiosis disputationibus altercationibusque ne spiritus quidem ducere posse videretur. Testantur id uno ore Cornarus, Matthiolus, Conr. Gesnerus, Sebast. Montuus, Gualtherus Ryff, qui malevolentiam eius protervitatemque queruntur. Quando illi quidem plurimum tribuitur auctoritatis et ab aequalibus et a posteris, exemplis probandum est, saepissime eum hallucinari, atque ob arabicae linguae inscitiam, praepostere cum Avicenna agere, dum sententias huius explodere studet.

I.

Exemplorum agmen ducat *πεντάφυλλον*. Eius succum perniciosum esse, credebatur medio aevo, cum tamen contrarium asserat Dioscorides (lib. IV. c. 42): *ὁ δὲ χυλὸς τῆς ῥίζης ἀπαλῆς ποιεῖ πρὸς τὰ θανάσιμα*; et Galenus (simpl. fac. VIII. p. 96 ed. Lips.) *πολύχρηστον τὴν ῥίζαν* dicat, quod Paullus (lib. VII. p. 250.) repetit. Contraria vero perniciosae indolis sententia profecta est e perversa Avicennae interpretatione. Huius enim (p. 217. ed. arab.) corrupti codices نيطافيلى loco فنطافيلون habent, unde et Plempius (Avicenn. lib. II. p. 209.) Nittafilon loco Pentafilon scripsit. Orditur autem Avicenna id caput: هو اليتوع, quod omnes interpretes atque lexicographi ad Freytagium usque Bonnensem, reddunt, lactaria herba. Perperam id fieri patet tum ex appositis exemplis سقمونيا (Scammonia), عشر (Calotropis gigantea R. Br.), عرطنيثا (Cyclamen europaeum), quarum plantarum prima quidem lacteum, secunda et tertia autem laticem quidem pressae reddunt, sed neutiquam lacteum. Nec radix تاع aliud quid significat, quam fluere, humere. Sequitur in Avicenna: اوراق المسمى خمسة, nominata quinque folia. Et postremo: دوا قتال ✩ السموم عصارة اصله. Quod aliter reddi nequit, quam: Venena: succus radicis remedium adversus letalia (venena). Itaque consentit Avicenna omnino cum Dioscoride, immerito taxatus a Nic. Leoniceno (De error. Plin. lib. III. c. 10. p. 30.) et Fuchsio (Paradox. lib. I. c. 15. p. 30.).

II.

Aliud est et gravissimum opprobrium, ab Avicenna confusas esse cicutae napellique herbas pariter ac facultates, ideoque utramque eum ignorasse. (Fuchs. parad. med. lib. I. c. 13. p. 25.) Nec id mirum existimat, cum regem fuisse Avicennam constet, qui aegrotis curandis operam non dederit. Ultimum hoc e vano

haustum esse, ex historia medica patet. Avicenna enim, licet provecta aetate reguli Hamdanensis amicus fuerit, archiatri tamen palatini munere apud varios Persiae principes functus est, quod Abulfaragius et Abulfeda testantur. Si autem caput ipsum Avicennae legimus, longe alia invenimus, quam quae interpres latinobarbarus habet. Incipit vero sic: „Dioscorides perhibet, „vocari eam herbam, scilicet cicutam (شوكران) ab inco„lis Dschordschan Albût s. albawet (البوط)." Num reprehendendus Avicenna, quod in Dioscoride suo legerit, quod nos ibi nequaquam reperimus? Minime! Namque arabicam coram habuit versionem, quam Stephanus (اصطفن) quidam fecit, correxit autem Honain, Isaaci filius. (Sacy ad Abdallatif, p. 52. 495.) Quidni fuerit is Stephanus Edessenus, medicus celebris Nestorianorum, cuius iam Procopius (de bell. pers. lib. II. c. 26. p. 154.) meminit? Itaque vel is, vel Honain addidit id synonymon persicum suo Dioscoridi. Fuit autem provincia Persiae, Dschordschan, quam Avicennae tempore rexit Cabus, princeps doctus et sapiens. (Abulfarag. hist. dyn. p. 350. Malcolm hist. of Persia, I. p. 311.) Iam pergit Avicenna in describenda herba schaukarân, et quidem ad amussim eodem modo, quo Dioscorides *κώνειον* suum. Dein addit Avicenna, Rufum folia eius plantae similia tradere mandragorae (يبروح), nisi quod minora sint et pallidiora. Gravis ille error vel Rufo ipsi (Traiani tempore aequali) vel Nestorianis interpretibus, Stephano et Honaino, adiudicandus. Avicenna vero eum errorem neque refellit, neque confirmat. Tum aliam tradit Avicenna opinionem Masichi (مسيح), qui est Mesue senior: nempe schaukarân esse speciem plantae, quae bisch vocetur (ضرب من البيش). Falsam vero hanc opinionem disertis verbis asserit Avicenna, licet largiatur, similia symptomata herbâ bisch produci ac conio, cuius graecam eam appellationem adiungit. Quid vero bisch illud sit, haudquaquam liquet, siquidem ipse Avicenna alio loco (p. 147.) nihil de eo dicit, nisi esse venenum letiferum (سم قاتل), antidotum vero habet animalculum radicibus eius plantae vescens, quod arabice فارة البيش, persice بيش موش vocetur. His addit commentator Avicennae, Alkharaschi, citatus a Plempio (p. 84), iuxta nonnullos nasci bisch in Sinarum regione, ubi ab incolis urbis cuiusdam (Alhelahil) comedatur: esse plantam cubitalem, foliis latis tanquam lactucae aut endiviae. Ex eo loco colligi posse videtur, bisch Arabum esse napellum, quod cum Gerardo Cremonensi omnes affirmant. Insigniter vero falluntur, qui ita sentiunt. Namque in loco Avicennae de bisch nullus, ne verbi quidem, est consensus cum *ἀκονίτῳ* Dioscoridis. Quid quod hoc longe alio loco (p. 272.) النمر خانق nuncupat, quod idem est ac *παρδαλιαγχές* Dioscoridis. Peculiare habet caput de bischmusch buhha (بوحا بيش موش); esse herbam cum bisch

crescentem, salutiferam et antidota vi contra illud venenum praeditam. Hanc dixerunt nonnulli interpretes **Napellum Moysis**, quia persicum موش (**musch**), cum nomine Moysis, quod **Musa** (موسى) arabice sonat, confuderunt. Napellum Moysis igitur dixerunt Matthiolus (comm. in Diosc. IV, 73. p. 769.) et Conr. Gesner (de hort. German. f. 247. a.) **Antoram**, quae est Aconitum Anthora. Eius esse salutiferam vim, radicemque praedicari, praesertim in Liguria, contra venena, Matthiolus tradit. Videtur Avicenna alio loco (p. 155.) zedoariae vires exponens, quam جدوار (**Dschedwâr**) nomine appellat, eamdem herbam intelligere, namque cum **bisch** crescere; eiusque vires infringere docet. **Maserdschawaihum** (Iudaeum Bassorensem saec. VIII. Abulfarag. p. 158.) cum Doronico (الدرونج) **dschedwâr** comparasse, illius tamen efficaciam alexipharmacam debiliorem dixisse, Avicenna tradit. Iam, cum et hodierno die **Dschedwâr** dicatur zedoaria, nomenque officinale ex arabica voce formatum sit, nec hanc cum Aconito Anthora, nec **bisch** cum Napello commutare licet. Utraque enim est planta indica aut chinensis.

Ut nullum denique supersit dubium, **bisch** longe aliud esse medicamentum ac napellum, prodeat testis fide dignus, Angelus a S. Iosepho, Tolosanus, monachus et missioni catholicae in Persia addictus, cuius **Pharmacopoea persica** Parisiis 1681. octava forma edita est. Ibi de bisch p. 358. 359. sequentia referuntur: „Mercatores gentiles Indi, regiam Persidis Ispahanum „incolentes, radicem huius plantae obsoniis commiscent et condi„mentis; immo munusculi titulo pluries illam maudendam praebent „post prandium: et fateor me non raro illam adhibuisse ad utrum„que usum. Si enim condimentis admoveatur, fragrantiam et „saporem gratum; et restaurativum (?) confert; si vero manda„tur, oris odorem conciliat, ructus et flatus dispescit, stomachum „in instanti componit; et miram laetitiam ac sensuum quietem „per totum quasi corpus videtur diffundere. Illa praecipue utun„tur Indi Taftenses, quos vulgo **Diuli** vocant, ex regno Sindi, „seu Indi fluvii: nec ab his valui quicquam aliud addiscere, nisi „quod esset letifera, si recens et viridis manducetur; siccata ve„ro omnino innoxia et medicamentosa. Quocirca forte Antithorae „speciem esse subintuli et napelli antidotum, quemadmodum ani„malculum illud, simile muri, quod radices napelli corrodens et „iuxta illum assidue spatians, praeclarissimum alexiterium esse „censent. Radices porro **bisch** omnino similes apparent ossiculis „seu vertebris **mothuae** [morrhuae] piscis: levissimae sunt et „candidae; foraminibus et carie undique fermentatae [arrosae]." In hac quidem relatione nil incredibile aut mirum esse videtur, quando non rarum est, radices recentes noxias, ubi succum perdiderunt aut volatiles partes, salubres fieri: Iatrophae Manihot exemplo, Dioscoreae etiam triphyllae Arique maculati.

III.

Tertium exemplum iniustarum criminationum, quas sibi reformatores in Avicennam permiserunt, sistit idem Leonicenus (l. c. lib. I. c. 25. p. 8.). Taxat enim Avicennam, quod amaracum dixerit alacoën albam, quam nemo cognoscat: amaracum autem esse sampsuchum. Iam vero Dioscorides *ἀμάρακον* cognomen tradit duarum plantarum valde diversarum, nempe *σαμψύχου* (lib. III. c. 41.) et *παρθενίου* (lib. III. c. 145.). Avicenna illud nomine persico مرزنجوش (marsandschusch p. 209.), *παρθένιον* vero اقحوان (okhhowân) appellat (p. 129.) eiusque cognomen اماراقوس (*ἀμάρακος*) e Dioscoride citat. Ergo iure suo hoc fecisse palam est. Okhhowân vero dici chamomillam Arabibus Ebn Alvam auctor est. (Casiri bibl. escur. I. p. 336.)

XIX.

DE APSYRTO BITHYNIO, HIPPIATRO.

SCRIPTIUNCULA, QUAM COMMENDANDI IUV. ORNAT. CHRISTIANI FRIDERICI PROBST, LUBECENSIS, CAUSSA, QUI D. XXX. IUN. MDCCCXXXII SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ADIPISCEBATUR, EVULGAVIT.

Quamlibet tantum mihi non arrogo, ut in me transferam, quod de Hippocrate dicit Celsus [1]): „magno ingenio multaque „nihilominus habituro convenit etiam simplex veri erroris con„fessio"; aemulatio tamen virtutum, quibus illustres viri excelluere, laudabilis videtur. Proinde errasse me fateor, cum Apsyrtum in septimum ablegarem saeculum [2]).

Licet enim satis sit probabile, Hippiatricorum collectionem, quae pleraque Apsyrti continet, conscriptam esse saeculi decimi initio, eiusdem Constantini septimi, *τοῦ Πορφυρογεννήτου* auctoritate, cuius iussu et Cassianus Scholasticus Geoponica compilavit; negari tamen nequit, Apsyrti reliquias multo esse antiquiores, eumque vixisse saeculo quarto.

Ipse enim, praeter Simonem Atheniensem, Xenophontem illustrem et Eumelum Thebanum, cuius aetas incerta est, neminem citat. Allegatur autem ab omnibus fere hippiatris, quorum fragmenta in ea collectione reperiuntur. Deinde in Suida le-

---

1) Lib. VIII. c. 4. 2) Histor. medic. II. p. 318. ed. tert.

gitur [3]): Apsyrtum e Nicodemia aut Prusa Bithynum, militem, stipendia meruisse sub Constantino, in Scythia, ad Istrum seu Danubium; eundem scripsisse librum ἱππιατρικόν, aliumque physicum de iisdem brutis animalibus. Quibus Eudocia addit, quatuor esse eius libros [4]). His testimoniis congruum est initium ipsarum Apsyrti reliquiarum, ubi ad Asclepiadem amicum scribit, se ad Istrum fluvium militasse in exercitu.

Expeditio haec eadem fuisse videtur, quam Constantinus imperator, primus eius nominis, contra Sauromatas suscepit, ad Maeotidem paludem habitantes, cum duce Rausimodo, traiecto Istro, oppidum satis magno praesidio munitum oppugnarent. Constantinus vero eos in fugam convertit, multos etiam, interemto duce, in fidem recepit [5]). Divinavi quidem olim, Constantinum eum quartum esse eius nominis, Pogonatum cognomine, qui utique ad Danubium Bulgaros debellavit [6]). Sed deserui eam sententiam, quia tot auctores veterinarii, Apsyrtum citantes, non possunt saeculo iuniores esse, ad quos maxime pertinet Vegetius, qui eum fere totum excerpsit. Is enim non multo post romani imperii eversionem ponendus esse videtur, cum Hunnorum, Thuringorum Burgundionumque equos laudet.

Accedit, nomina virorum, ad quos Apsyrtus epistolas vel consilia scripsit, antiqua esse romana: e. g. Tyranius Varro (*Βάρων*, p. 37.), Publius Varro (*Οὐάρων*, p. 39.), Valens Decurio (p. 131.), Quintus Lollius Marulius (p. 150.), Iulius Faustus Decurio (p. 163.), Marcus Aemilius Decurio (p. 175.), Fronto Valerius (*Βαλλέριος*, p. 183.), Publius Cocceius Iustus Centurio (*ἑκατοντάρχης*, p. 194.), Rufus Octavius (p. 228.), Postumius Dacus (p. 259.), Tullius Severus (p. 263.). Haec nomina imperante Pogonato iamdiu in desuetudinem abierant, cum, obsessa ipsa pluries Constantinopoli a Saracenis et Bulgaris, cum hac natione Graeci consuevissent [7]).

Denique etiam adest vestigium descripti Polemonii in Apsyrti reliquiis (p. 108.), ubi cum Calamintha comparatur, quod cum neque in Plinio legatur, neque ab Anguillara in Crateva repertum fuerit, reiicitur etiam in Dioscoridis textu (lib. IV, 8.). Comparat tamen Polemonium Oribasius (lib. XII. p. 473.) eodem modo cum Calamintha aut Polygono ac id in spuriis Dioscoridis fit, unde nonnulli effecerunt, Oribasium Apsyrto iuniorem ex eo haec sumsisse. Ea vero argumentatio levitatis arguenda esse videtur. Namque alio plane modo describitur ea planta ab Apsyrto

---

3) Tom. I. p. 407 ed. Küster. 4) Eudociae violar. ed. Villois. I. p. 65. 5) Zosim. hist. lib. II p. 93. 94. ed. Oxon. 1679. Euseb. vit. Constant. lib. IV. c. 5. p. 528. ed. Vales. 6) Paull. Diacon. hist. lib. XIX. p. 602. 7) Obvius est Jo. Pitzigaudes, barbarus gente, orator Pogonati apud Saracenorum tyrannum (Zonar. ann. XIV, 20.). Graeci Arabibus tributa imponebant, ipsi Bulgaris vectigales.

atque ab eo, qui spuria Dioscoridi adiunxit, et ipso Oribasio. Primo enim non *πολεμώνιον* dicitur, sed *πολεμωνία*, dein habitare dicitur in pratis humidis, cum in montanis et asperis locis inveniri et Dioscorides et Oribasius perhibeant. Insuper de foliis pinnatis, (*τεταρσωμένοις*) quae praedicat Dioscorides, Apsyrtus tacet, addit tamen gravem odorem saporemque amarum, quorum nulla fit in Dioscoride aut Oribasio mentio. Unde colligi potest, aliam esse Apsyrti, aliam Oribasii et Dioscoridis plantam, neque posse nos ex hoc vestigio Oribasium Apsyrto iuniorem facere. Est tamen profecto iunior, cum Constantini expeditio illa ad Istrum, in qua militiae munus susceperat Apsyrtus, annis 330—332 collocanda sit.

Expedita Apsyrti aetate, ipsa perstringam fragmenta, quorum plurima morbos equorum eorumque medelam, non pauca vero delectum, educationem, nutritionem pabulique genus ipsamque admissuram equorum aut mulorum ad equas comprehendunt.

1. De delectu equorum plures bene scripsisse fatetur, optime Simonem illum veterem ac Xenophontem; de arte vero equos condocefaciendi, (*πωλοδαμνία*) seu fingendi, ut cum Flacco loquar, „dociles tenera cervice, in viam, quam monstrat eques," solum scripsisse Xenophontem [8]).

Genera autem equorum incipit a Parthis, mediis inter Medos, Hyrcanos et Armenios. Horum equos esse grandes, animosos, pedibus alacres et genere nobiles; Medorum etiam grandiores; Armeniorum Cappadocumque ad Parthorum speciem pertinere, sed capite demissiore aut graviore gaudere (*βαρυκέφαλοι μᾶλλον.*) Armeniam etiam, Cappadociam Mediamque equorum feracissimas esse nobilium docet Strabo [9]). Hispanis equis peculiarem impertit laudem: esse nimirum grandi statura et concinno corpore, in itineribus fortes; quodsi vero diu stabulis coërceantur, cursus calcariumque esse impatientes. In Graecia excellere Thessalicos, Epiroticos vero esse malignos mordacesque; Thracios esse deformes et foedos aspectu, corpore ligneos, humeris demissis, dorso cavatos, varos tardigradosque [10]). Cyrenaicos deinde, Istricos, Argolicos, Sarmaticos denique suis quodvis genus laudibus ornat. Alias enumerat species Vegetius, quae seriorem produnt aetatem: Hunnisios, Toringos, Burgundiones atque Frigiscos seu Frisios [11]).

Boni equi notae, quas Apsyrtus adiungit, intellectu difficillimae sunt, longeque aliter in Geoponicis (lib. XVI.) traduntur. Praeter longum enim collum longosque pedes *κορμὶς λακρὸς*,

---

8) Hippiatr. c. 115. p. 261. ed. Basil. 1537. Xenophontis opuscula politica, equestria et venatica, ed. Zeune. Lips. 1778. 9) Lib. II. p. 562. 563. 575. ed. Siebenk. et Tzsch. 10) Virgilius tamen (Aen. V, 565.) Thracium equum bicolorem celebrat, nostraque aetate Turcae magni faciunt equos Rumelienses. 11) Lib. VI. c. 5.

στῆθος φαρδὺ (εὐρὺ in Geopon.), φαρδέα ἀναπνευστικὰ, (idem, ut opinor, significat), κοντὰ κοντοπλεύρια praedicat.

2. Quod pabulum attinet, hordeum vulgatissimum fuit. Namque avenae nusquam mentio fit, licet βρώμου nomine Dioscorides (II, 116.) salubres in homine vires praedicet. Peculiare est caput: πῶς δεῖ γραστίζειν [12]). Quam vocem recte interpretantur farraginem pabuli recentis aut viridis praebere; κράστις, quod idem est ac γράστις Hesychio dicitur χόρτος χλωρός; ipse etiam Hierocles γραστίζειν vertit παραβάλλειν χλωρὰν πόαν. Non idoneum aut proficuum credit, in pascua ipsa mittere equos, sed in stabulis praeberi hortatur pabulum illud, praemisso nitro.

3. Deinde de admissura protinus iubet sanos esse debere admissarios. Ex equis enim vitia omnia, etiam oculorum, in prolem propagari, secus contingere in equabus, quas cum Oppiano τὴν ἱππάδα appellat [13]). Aptos non esse admissarios, qui uno tantum teste gaudeant aut quorum testes varicibus occupentur, κρισσοκάβωνες hos dici. Describit etiam, ut muli generentur, asinum, qualis admissarius eligendus sit.

4. De castratione ita agit [14]), ut ver et autumnum idoneas anni partes praedicet et, omissa equi aetate, consilia impertiat de modo, quo aperiendum sit scrotum, ligandi funiculi spermatici et exscindendi testes. Fibulas (πόρπακας) adhibet lineas aut cannabinas ad funiculos, cauteria etiam ad cremasteres, caute instituta tenui victus ratione.

Tum morbos aggreditur, et statim quidem ab initio febrem, cuius signa caussasque enumerat [15]), et cuius curationis summam venae sectio constituit. Sanguinem autem mittit potissimum e venis palati, tum e μεσοκυνίοις, seu e carpo, nonnunquam e cervice et temporibus, nequaquam vero ex ungulae corona, quoniam claudi plerumque inde fiant [16]).

In reliquis morbis affectibusque locorum singulorum recensendis nullus servatur ordo. Gravissimam autem habet μάλιν, quam malleum Latini vocant. Nomen Theomnestus ab albo derivat muco, qui e naribus initio depluat: μαλός enim idem est ac λευκός [17]). Ochroleucum autem initio potius esse effluentem quam album, nostrae aetatis docuit experientia [18]). Mox vero color mutatur in cinereum, viridem et fuscescentem. Esse addit laticem effluentem foetidum et contagiosum. Quum per se iam curatu difficillimus sit morbus, incurabilem esse, si latex fluere desinat: tum enim rumpi pulmones [19]). Nasci morbum ex arthritide. Statim initio succurri sanguinis missione e fronte, pectore et μεσοκυνίοις. Dein iniicienda esse centaurium, absynthium ac

---

12) c. 58. p. 234. 13) c. 14. p. 53. 14) c. 100. p. 238. 15) c. 1. p. 1. 16) c. 9. 10. p. 38 s. 17) c. 2. p. 16. 18) Waldinger, über Krankheiten an Pferden, p. 162 s. 19) c. 2. p. 12.

peucedanum vino cocta per nares: amaritudinem enim amaritudine expelli[20]). Quapropter etiam laudat colocynthidem aegyptiam vino decoctam, quae *ἐγχυματισμῷ* per nares adhibenda sit; id esse suum inventum.

Affinem malleo coryzam, quam nostrates Strengel vocamus, *βηχός* nomine tractat[21]). *Χοιράδες* vero[22]) vel morbum comprehendunt scrofulosum vel farcimen etiam in iis, quos *ἐλεφαντιῶντας* appellat[23]).

Πνευμόῤῥωξ ipsi, ut iam Eumelo, dicitur *ἀπὸ τοῦ πνεύμονος ῥήγνυσθαι*, a ruptis ob nimium cursum vel a continua tussi pulmonibus[24]). In quo falsus esse videtur, cum remediis iniectis curare eum affectum audet. Alio tamen loco[25]), ubi de ruptis internis partibus agit, pulmonum ruptorum signum tradit sanguinis cursum e naribus. In omnibus autem viscerum rupturis commendat herbam, tum propter nomina, quibus insignitur, tum ob descriptionem difficillime cognoscendam. Appellari vulgo *σύμφυτον*, Macedonibus *ὀστεόκολλον*, aliis *ταλάντιον*, medicis tironibus *πολύγονον*. In rupibus nasci et muris, semper virere sine foliis, quamquam Spartii ad instar ramos habeat *ἐκκρεμεῖς* (appendiculatos). Non dubito esse nostrum Symphytum officinale, cuius nomina antiqua *πηκτόν*, conferva, solidago (Dioscor. IV, 10.) cum ipso *συμφύτου* nomine vim consolidantem significant. *Ἐκκρεμεῖς κλάδους* Apsyrti Dioscorides ita exponit: *ἐξοχὰς ἔχειν τὸν καυλὸν παρὰ τὰς γωνίας τινὰς τεταμένας, φύλλων λεπτῶν πρὸς τύπον.* Haec esse folia decurrentia persuasum habeo.

Καρδιακούς vocat equos, quorum cor laboret[26]). Cor autem cum cardia vel ventriculo commutari, patet e signis, quae ingentem ventriculi dolorem cum moestitia, virium iactura, spasmis sudoribusque frigidis produnt. Caussis neglectis medelam haud idoneam praecipit. Namque praeter victum, stabuli munditiem et fragantiam, siccitatem caloremque corporis servandum, scillam cum pipere, myrrha ac ture, aristolochia thymoque commendat.

Ὀρθοπνοίαν[27]) a *κενοπρίσει*[28]), quae similis sed gravior est spiritus difficultas, distinguit. Neque magnopere differt *κριθίασις*[29]), sicut et nostratium Dampf et Herzschlächtigkeit proximi sunt, ni iidem affectus[30]).

---

20) Ib. p. 10. *Ἡ γὰρ πικρότης ὑπὸ τῆς πικρότητος ἐξωθεῖται.* 21) Ib. c. 22. p. 71. 22) Ib. c. 20. p. 65. 23) Ib. c. 3. p. 21. 24) Ib. c. 6. p. 29. 25) Ib. c. 66. p. 180. 26) Ib. c. 29. p. 98. 27) Ib. c. 27. p. 94. 28) Ib. c. 46. p. 150. Memoratu admodum dignum arbitror additamentum: *Λέγεται δὲ κενόπρισις, ὑπὸ δέ τινων πνεῦμα ἐν κιθάρᾳ, οἵτινες εὑρήκασι τὸ μέσον τρυπᾶσθαι ὀστέον τῆς κιθάρας τρυπάνῳ λεπτῷ.* Cum *κιθάρα* sit thorax, medium os eius est sternum, quod terebrari iubet, si forte subest ulcus, sicut nostrates setaceum suadent. (Pilgers syst. Handb. II. §. 1287. p. 890. 891.) 29) Ib. c. 8. p. 33. 30) Pilgers syst. Handb. der Veterinär-Wiss. II. §. 1280 s. p. 882.

De tetano agens [31]), quem in equis Aristoteles iam cognoverat (hist. anim. VIII, 23.), morbum gravissimum et plerumque letalem, quem nostrates Hirschkrankheit nuncupant, eodem modo fere delineat ac Waldinger [32]). Neque valde differunt caussae enumeratae, vulnera nimirum et frigus post nimiam agitationem subito accedens. Mederi studet inuncto oleo picino, cedrino cum adipe ursi, anserum, porcorum caprarumque, iniectis dein per nares nitro saleque. Studiose etiam hortatur, corporis exercitationem ad sudores usque augere.

Χολέραν nuncupat et siccam, si alvus est obstructa et stercora dura [33]). Oriri autem morbum ex impedito bilis transitu per ductum in vesicam. Clysmata suadet in hoc morbo e kali (*νίτρῳ*) et oleo, pabulum etiam viride. Humidam vero choleram ita repraesentat, ut promte dici nequeat, quomodo is morbus ad nostri saeculi modum nuncupandus sit. Oculos enim esse splendentes et flavidos, flavidas etiam venas sublinguales, urinam pallidam biliosamque, os simul fervere, aures iliaque sudoribus madere. Succurrit sanguinis missione e *μεσοκυνίοις*, tum variis sorbitionibus ex oxycrato, cymino et thymo.

Morbos, quos vocat, *χορδαψόν* [34]), *στρόφον* [35]) et *ἐντέρου ἐπιστροφήν* [36]), ita perstringit, ut ab *εἰλεῷ* Aristotelis haud facile discerni possint. Est ileus, cum cholera sicca idem, variis nominibus insignitus diversisque curationibus tentatus.

In morbis nervosis *νευριτικούς* protinus vocat equos, si spasmis os naresque praecluduntur [37]). Maximi autem momenti esse et epilepsiam [38]) et maniam [39]). Furiosis animalibus aut rabiosis vincula esse iniicienda, tum venas secandas, stabulis esse coërcenda, a quibus omnis lux fuerit exclusa, testes etiam esse exscindendos.

In externis passionibus plures obviae sunt expositu difficiles. Sic *ψώραν* habet *ἀνάχυσιν* (*διάχυσιν* Hierocles) mallei, praesertim speciei, quam *ὑποδερματίτιδα* vocat [40]).

Ῥευματισμὸν ἐν γόνατι a Romanis appellari flimelia [41]); nasci e latice accumulato, nec incisione nec ustione esse tractandum, sed globos a mari eiectos, discerptos, cum cimolia terra miscendos et cum aqua fomenti loco esse per aliquot dies imponendos. Globos hos mari eiectos constitui Conferva Aegagropila, quae a sali marino efficaciam habet, probabile est. *Ῥευματισμοὶ ἐν ποσὶν*, *σεῖραι* dicti, Romanis autem „suffragena" [42]), videntur esse tubercula, quae nostratibus Leist aut Steingallen dicuntur. Apsyrtus curat igne et cultro.

31) Ib. c. 34. p. 119. 32) Wahrnehm. an Pferden, I. p. 180. 33) Hippiatr. c. 69. p. 200. 34) Ib. c. 37. p. 133. 35) Ib. c. 45. p. 148. 36) Ib. c. 36. p. 131. 37) Ib. c. 84. p. 213. 38) Ib. c. 109. p. 258. 39) Ib. c. 102. p. 243. 40) Ib. c. 69. p. 186. 41) Ib. c. 51. p. 156. 42) Ib. c. 52. p. 158.

Μάρμαρον [43]) est tuberculum ex tumore bursarum mucosarum natum: nostri id Spat vocant; *συκαί* autem et *μυρμηκίαι*, circa coronam unguis natae [44]), forte ad id vitii genus pertinent, quod Mauke nostrates appellant.

Aliis explicatu difficillimis affectibus missis, mentionem duntaxat faciam luxati humeri et sequelae diuturnae, quam *ἐγχεδερμίας* nomine recenset, nostrates vero Buglähme appellant [45]). Percuti saepe ferulis locum affectum, dein pungi et inflari iubet loca affecta, ubi nostrates setacea adhibent [46]).

XX.

DE MATTHAEO SYLVATICO SAECULI XIVi MEDICO.

(EX MS.)

Primus, qui Matthaei Sylvatici meminit, est continuator speculi historialis, quod Vincentius Bellovacensis saeculo decimo tertio composuerat. Continuationem eam scriptam esse anno 1493 probatur fine, qui, praeter laudes iniustas papae Alexandri sexti, vota continet pro armorum successu, quae contra Turcas ceperat Maximilianus imperator. Is continuator libro tricesimo primo, postquam Petrum Aponensem, Dinum de Garbo Florentinum et Gentilem Fulginatem medicos laudaverat, addit:

„Matthaeum Sylvaticum, medicum Mantuanum, genere no-„bilissimum, hisdem temporibus floruisse constat: eo, quod ad „Robertum, Siciliae regem, et medicum divinum opus de omni-„bus simplicibus medicinis et earum proprietatibus dederit, ac „alia quaedam edidit."

Robertum regem, Caroli secundi Andegaviensis filium ab anno inde 1309 ad 1343 regnasse constat. Rex Siciliae nuncupatur, quamvis post caedem siculam (1282) Aragoniae reges Petrus, Iacobus et Federicus rerum in insula Sicilia potirentur. Andegavenses enim, qui iamdiu Apuliae dominationem in titulo cum Siciliae regno commutarant, post multas contentiones tandem 1309 pacti sunt cum Aragonensibus, ut hi non Siciliae sed Trinacriae reges semet appellarent, tradito Andegaviensibus Si-

---

43) Ib. c. 53. p. 163. 44) Ib. c. 72. p. 211. 45) Ib. c. 26. p. 84.
46) Gibson von den Krankh. der Pferde, II. p. 410 s.

ciliae titulo [1]). Cum demum Petrus secundus Aragonensis, Federici filius, brevi post patrem (1337) obiisset, proceres Siciliae ultro Roberto dominationem insulae obtulerunt [2]).

Robertus, doctissimus sui temporis rex [3]), artibus ingenuis assidue deditus, eruditorum liberalis patronus, meruit laudes Villani, Boccacii, maxime vero summi ea aetate viri, Francisci Petrarchae, qui poëma celebre de punico bello, cui Africa nomen, Roberto dicavit, eiusque defuncti encomium scripsit [4]).

Nisi e modo allatis explorata esset Matthaei aetas, certissime pateret ex Anton. Mazzae testimonio, e tabulis publicis petito [5]), obiisse Matthaeum 1342, anno mortem regis praecedente. Accedit aliud aetatis vestigium in ipso Matthaei opere. De brucis nimirum, vel bruchis [bruculis], seu locustis orientalibus sermonem faciens, addit: „Et Ego vidi eos Salerni anno dominicae incarnationis 1297" [6]).

Salerni igitur, bonarum artium, praesertim studii medici caussa eum degisse exploratum habemus, cum et disertis referat verbis, se Salerni hortum coluisse. „Ego ipsam Culcasiam (Arum „Colocasiam) habeo Salerni in viridario meo secus spectabilem „fontem" [7]). Floruisse autem Salerni studium medicum, ut et civitas Hippocratica diceretur, usque ad mortem Roberti regis (1343) vel inde elucet, quod ipse rex, cui et „physicae do„ctrinae incredibilem tribuit Petrarcha notitiam", anno 1342 privilegia collegio medico salernitano concessa ampliavit [8]).

Sed et Tuneti in Africa nostrum vixisse patet e loco de Abes planta, quam Tuneti multotiens vidisse affirmat [9]). Commercium autem Neapolis cum Tuneto per id aevum assiduo floruisse inde efficitur, quod Carolus primus Andegaviensis, cum fratri Lodovico nono (1270) Tunetum urbem in obsidione tenenti suppetias attulisset, tributarium sibi eum regulum aut tyrannum reddidit [10]).

Hinc colligitur, Reinesium non procul a veritate recedere, dum pandectas medicas circa annum 1330 conscriptas tradit [11]). Quid vero numerus XII, nomini Roberti regis ascriptus sibi velit, divinare plane nequeo. Nec scio, cur Hallerus Matthaeum Sylvaticum saeculo decimo quarto denegaverit, decimo tertio eum annumerans [12]).

---

1) Giannone istor. civ. di Napoli, lib. XXI. c. 4. (ed. 1762. tom. III. p. 128. 129.) 2) Ib. lib. XXII. c. 3. p. 175. 3) Opusculum ipsius de virtutibus moralibus Federicus Comes Ubaldini edidit Romae 1642. 4) Rer. memor. lib. III. p. 459. ed. Basil. 1581. fol. 5) Histor. salernit. c. 9. p. 124. (ed. Neap. 1681, col. 61. in: Graev. et Burman. thes. Ital. tom. IX. P. 4.) 6) Pandect. med. c. 108. f. 43. d. (ed. Venet. 1511. fol.) 7) Ib. c. 195. f. 74. b. semina plantarum e Graecia afferenda curavit. c. 131. f. 52. c. 8) Mazza l. c. p. 130. col. 64. 9) Pandect. med. c. 2. f. 2. c. 10) Giannone lib. XX. c. 2. p. 11. 11) Var. lection. lib. III. p. 528. 12) Biblioth. botanic. I. p. 220.

Mire vero hallucinatus est Argelati [13]), qui Mediolanensem nostrum facit. Testibus ab eo citatis, Sitonio et Fagnano, certe de alio eiusdem nominis loquentibus, credit, filium fuisse Facioli cuiusdam Sylvatici et Erasminae Lampugnanae; 1367 honores summos academicos adeptum et 1388 magistratui, e duodecim viris composito ascriptum fuisse. Quae quanquam Tiraboschius credat [14]), tam contraria tamen omnibus iis sunt, quae certissime de Matthaeo Sylvatico scimus, ut nullum profecto attentionem mereantur.

Ad aetatem Matthaei nostri eruendam, nisi iam satis esset expedita, posset auctorum medii aevi ab ipso citatorum numerus adhiberi.

Proximum fere aetate citat Dinum de Garbo, Florentinum, professorem Patavinum, de quo paullo ante nostrum continuator Vincentii Bellovacensis loquitur, quemque anno 1327 obiisse Tiraboschi testatur [15]). Expositiones librorum Hippocratis et Avicennae scripserat.

Antiquiorem habeo Saladinum, a Matthaeo saepe laudatum. Auctor is est compendii aromatariorum, opera Andr. Marini, una cum Mesue, Venetiis 1562. fol. editi. Asculanus fuit; ipse se nominat physicum seu medicum principis Tarentini. Suo tempore refert regem Aragonum Neapoli aromatarium condemnasse, qui corallia rubra ustione in alba mutaverit [16]). Neapolis autem sub imperium ditionemque Aragonensium regum anno 1422 cecidit, quum Alfonsus a Ioanna secunda in auxilium vocatus esset. Is se primus regem utriusque Siciliae appellavit [17]).

Verum tamen nimis seram esse hanc occupationem, quam quae a Saladino intelligatur, vel inde patet, quod in compendio eo Saladini Asculani nusquam Matthaei Sylvatici mentio fit, licet libros aromatario necessarios vel utiles enumeret [18]), et in iis Simonis Ianuensis synonyma, Arnaldum Villanovanum, qui 1312 naufragus periit, Nicolaum Praepositum, Salernitanum et librum servitoris, auctore Albucasem Alsaharavio, qui pariter ac Nicolaus is saeculo duodecimo vixit [19]).

Saladinum igitur aetate priorem Matthaeo habendum esse liquet; regemque Aragonensium, qui Neapoli imperaverit, alium fuisse ac Alfonsum eum, patet. Iam vero semel tantum per menses paucos Neapolin ab Aragonensibus anno 1283 occupatam esse legimus, cum Petrus Aragonensis a Carolo Andegaviensi ad certamen singulare provocatus, ut ultio cladis siculae ab eo peteretur, simul cum adversario Burdigalam profectus esset. Eodem tempore Rogerius de Loria, dux classis siculae Neapolin, nomine Petri Aragonensis, expugnavit, filiumque Caroli, Carolum se-

---

13) Biblioth. script Mediol. vol. II. P. 1. p. 1454. 14) Storia della litteratura ital. vol. V. p. 280. 15) L. c. p. 215. 16) Saladin. ed. cit. f. 456. b. 17) Giannone lib. XXV. c. 3. p. 323. lib. XXVI. c. 1. p. 360. 18) Saladin. f. 454. c. 19) Histor. medicin. ed. 3. tom. II. p. 449. 498.

cundum, principem Salernitanum, comprehensum secum in Siciliam abduxit [20]). Inde in Aragoniam missus, captivus ibi detinetur, donec anno 1290, conditionibus a Papa Angliaeque iuxta ac Galliae regibus agitatis liberatus in paternum rediit regnum [21]).

Hinc colligitur, per septem annos (1283 — 1290) Neapolin in Aragonensium potestate fuisse, regnante primum Petro, cui 1285 defuncto Iacobus filius successit.

Princeps Tarentinus, cuius medicum se Saladinus dicit, est Caroli primi filius Philippus, qui postea titulum sibi imperatoris arrogavit Constantinopolitani. Diem obiit 1332 [22]).

Quibus patefactis elucet, pariter lapsos esse, qui saeculi duodecimi auctorem habuerunt Saladinum [23]), ac eos, qui ad saeculum decimum quintum relegant [24]).

Venio iam ad Christophorum de Honestis, saepius a Matthaeo Sylvatico citatum, quem iuniorem facere consuerunt, qui eius aevi scriptores supini legerunt: Ackermanni exemplo, qui 1380 floruisse [25]), et Halleri, qui saeculi decimi quinti initio vixisse [26]) perhibent. Equidem vero censeo, cum aetas Matthaei Sylvatici iam explorata sit, qui Christophorum citet, vel aequalem aetate Christophorum vel paullo superiorem esse debere, quoniam praeter Dinum Florentinum et Petrum Aponensem allegat [27]). Neque tamen, quod Hallerus memoriae tradit, Petrum Argelatam, neque alium iuniorem citatum a Christophoro inveni. Eius autem expositio antidotarii, ab Andrea Marino, Venetiis 1562 edita, coram est. Obvius in ea locus (f. 92. b.) de florentissimo Salerni medico studio satis est memorabilis, quia olim Galeno laetatos fuisse Salerni, iam vero eum fugi testatur.

Simeonem de Cordo Ianuensem, Albertum Magnum, Mosen Maimonidem, Ioannem etiam Platearium a Matthaeo nostro citari, mirum non est: pertinent enim ad duodecimum et decimum tertium saeculum.

Sed et veterum non paucos Matthaeus citat, qui, iam deperditi, ea aetate integri legebantur. Sic Demosthenes ille Philalethes, Herophileus, celebris de oculorum affectibus scriptor, e quo multa hausit Aëtius [28]), apud Matthaeum Sylvaticum memorabili loco citatur [29]), sequenti modo: „Pachides beleferon (παχίτης βλεφάρων) est palpebrarum corpulentia et „grassitudo, qua exteriores partes videntur extensae, interiores

---

20) Giannone lib. XX. c. 8. p. 63. 21) Ib. lib. XXI. c. 2. p. 109. 22) Ib. lib. XXI. c. 6. p. 144. 145. 23) Fabricius biblioth. med. et infim. latin. vol. VI. p. 401. Ackermann. hist. studii salernit. p. 64. 24) Haller biblioth. botan. I. p. 237. 25) L. c. p. 34. 26) L. c. p. 233. 27) Natum fuisse Petrum Patavii 1250, denatum 1320, alio probavi loco. (Hist. medic. ed. 3. tom. II. p. 570. 571.) 28) Tetrab. VII. 29) Matth. c. 570. f. 160. c.

„vero carnosae ac sanguinolentae, vertendae palpebrae difficulta-
„tem faciens. Sed venit ex oculo procidente (oculi prolapsu),
„aut ex longa lippitudine".

Alio loco Philonem laudat „doctissimum medicum et per-
„fectissimum diligentia longa et ratione, qui de disciplina (modo)
„ellebori dandi scripserit" [30]). Herennium puto esse Philonem Tarsensem, quem de medicina scripsisse Stephanus refert Byzantinus [31]). Philonium, celebre medicamentum, ipsi ascribendum esse, patet e Galeno [32]).

Frequentissima autem fit mentio Posidonii, pneumatici medici, e cuius deperditis iam scriptis seriores Graeci plura excerpserunt. Nemo autem tot fragmenta servavit, quam Matthaeus; scilicet plurimorum simplicium vires usumque experientia confirmat. Verum tamen suspicionem movet, saepe Posse, (sic enim scribitur) cum Dias. (Dioscoride) iungi. Ut memorabilia pauca adducam, Posidonius balnea aluminosa hydropicis, scabiosis ac arthriticis commendat [33]). Quae si naturalia haberi nequeant, arte parari docet e sale cum alumine coctis. Oxalidis vires contra aphthas et ulcera oris antiqua (scorbutica?) laudat [34]).

Opus ipsum pandectarum aggressuris conspicuum protinus est, alphabeticum, quem sequitur, ordinem formari vocibus vel latinis vel arabicis vel demum graecis. Quod graecas attinet literas, earum notitia vel parca erat vel nulla in scholis eius aevi, quamquam singula occurrunt exempla agitati iam saeculo decimo tertio, magis vero quarto studii literarum graecarum. Federicus enim secundus imperator eam linguam cum arabica probe calluisse dicitur [35]), iussit quoque Aristotelem e graeco idiomate verti [36]). Cuius vestigia sequens Robertus rex Neapolitanus medico docto Nicolao Ruberto curam interpretationis, e graeco textu Aristotelis pariter ac Galeni instituendae, demandavit [37]). Quid quod in Calabria ulteriore quodammodo floruerunt graecae literae, tum quod Hydrunti (Otranto) monasterium earum literarum cultu inclarescebat, Abbate Niceta eruditissimo viro [38]); tum quod Barlaam, Calaber monachus, orator regis Roberti apud imperatorem graecum, Andronicum secundum, dein vero episcopus Geracensis, graecam linguam, cuius rara ipsi erat scientia, Boccacium et Petrarcham et alios docuerat. At vero, quae in singulis viris insignis erat doctrina, in scholas tam parum introducta fuit, ut inscitia eius linguae in plerisque auctoribus eius aevi manifesta sit.

---

30) Matth. c. 236. f. 87. b. 31) Voc. *Ἀνδράχ.* p. 318. *Κίρτος* p. 495. 32) De compos. medic. sec. loc. lib. IX. c. 4. p. 267. 33) Matth. c. 34. f. 18. a. 34) Matth. c. 72. f. 33. b. 35) Malespini storia fiorent. c. 112. in: Muratori script. rer. ital. VIII. p. 953. 36) Petr. de Vineis, lib. III. ep. 67. p. 481. 37) Giannone lib. XXII. c. 7. p. 198. 38) Ib. p. 197.

Auctorum enim graecorum textum, ex arabica interpretatione latino-barbare redditum legere usque consuerunt. Hinc Rogerius Baco queritur, „propter perversitatem translationis Ari-„stotelis textum non posse intelligi" [39]). Et Petrus Aponensis satis agit, ut e prava versione arabica eruat Galeni sententiam [40]).

Sic mirum est, graecum Galeni textum dici a Matthaeo nostro translationem graecam [41]). Quam sequi se iactat, dum χαμελαίαν Dioscoridis et δακρυοειδές exponere conatur [42]). At vero turpiter plerumque fallitur, graeca expositurus. Eorum errorum risum passim moventium pauca afferam exempla. „Pandecta, „i. e. totum dictum, a pan, quod est totum, et decta i. e. „dictum [43])... Cristere est quoddam instrumentum medico-„rum, omnibus notum, et secundum aliquos debet dicere cli-„stere, per l, a clepo, quod est furor, quia furatur stercus „ex intestinis: vel dicitur quasi colus stercoris, quia per ipsum „colatur stercus extrinsecus: vel a cleo (κλίνω potius) quod est in-„clinare, quia facit stercus inclinari. Vel dicitur cristere per r, „a crisi et tergo. Crisis habet significatum secreti, itaque cri-„stere est secreta tersio" [44]). Quot verba, tot ineptiae!.. Dendro (per o) arborem, dendron vero (ω) aut dendrios vel dendre magnam esse arborem, nugatur [45])... Caballus „marinus invenitur in Ypotamo. Ypotamus est fluvius in „Mesopotamia, quae est regio media inter duo flumina sc. Sci-„trim (Tigrim) et Eufratem [46])... Aneurysma scribit Amoresiam [47]), νυκταλωπίαν Nicabrium [48]).

Quanto igitur iure Constantinum Africanum et Simeonem Ianuensem errorum arguat [49]), facile patet. Nec arabicae linguae satis compotem fuisse plurimis proditur locis, quemadmodum mox sum probaturus.

Iam enim operae videor mihi pretium facere, dum plantas, quas vel primus recenset, vel quae memorabiles occurrunt, exponam; in quo conamine satis arduo alphabeticum praefero ordinem.

Aconitum ferox Wall. nomine Bisch arabico, persico aut potius indico occurit [50]). Indicum autem esse nomen, probatur eo, quod in antiqua indica lingua, sanscrit dicta, id aconitum vischa, ut omne venenum, appellatur [51]). Pernicio-

---

39) Opus mai. ed. Jebb, p. 262. 40) Conciliat. diff. 8. f. 12. c. ed. Venet. 1565. fol. 41) Matth. c. 315. f. 110. d. 42) Ib. c. 124. f. 49. b. 43) Ib. c. 570. f. 160. d. 44) Ib. c. 186. f. 71. c. 45) Ib. c. 206. f. 78. b. 46) Ib. c. 104. f. 45. d. 47) Ib. c. 41. f. 20. d. 48) Ib. c. 555. f. 156. a. 49) Ib. c. 124. f. 49. b., c. 552. f. 155. c. 50) Ib. c. 97. f. 42. a. 51) Wallich. plant. asiat. rar. vol. I. p. 35. Quod et aliae plantae nomine bîsch venerint, inde effici potest, quod Mesue

sum id venenum largiuntur radices tuberosae, dum recentes sunt, maxime vero extractum spirituosum. Efficacissimas esse, quae ex altis montibus Emodis (Himalaya) petuntur, minore vi valere, quae in minus editis locis creverint, Hamiltonius testatur [52]. Pereirae experimenta in canibus cuniculisque instituta [53]) docuerunt, extracto illo, ad drachmam exhibito animalia intra pauca scripula horae primaria trucidari, praevia nervorum resolutione; unde et monticolae tigres solent interimere, dum lacunae aut scaturigines sylvarum, quas ad bibendum visitant, iis radicibus impraegnantur. Idem Pereira testatur, tantillum eius extracti linguae impositum punctionis sensum et rigorem cum stupore iunctum (numbness) producere; ceterum Strychnini more agere ac per consensum cerebrum afficere.

Auctoribus medicis Royleo et Govanio Wallichius comperit, eamdem radicem siccatam pariter ac oleum inde extractum expedita praebere praesida in arthritide et rheumatismo; esse etiam aliam speciem eiusdem generis, Aconitum forte palmatum aut dissectum Don [54]), quae Indis et Tibeti incolis Nirbisha aut Nirbischi dicatur, optimum remedium [55]).

Aconitum illud ferox Wallichii, quod Donius A. virosum appellat, distinguitur ab aliis speciebus: 1. villo caulis, foliorum fructuumque; 2. foliis palmato-multifidis, laciniis lineari-lanceolatis pinnatifidis acutis; 3. racemis erectis subramosis, pedunculis unifloris rariusculis: galea floris convexa, aperta, obtusiuscule rostrata; 4. cucullo erecto crasso, labello subrevoluto; 5. denique folliculis quaternis aut quinis.

Quae cum ita sint, ex Emodis montibus antiquitus Persae petierunt radices illas venenatas iuxta ac salubres, de quibus primus Avicenna Bisch nomine tradit contra lepram (baras) utiles esse [56]). Napellum id nomen bene verterunt interpretes prisci. Et recentioribus temporibus missionarius, Angelus a S. Iosepho, in Persia didicit compositionem electuarii e bisch arido, pipere, zingibere, staphide agria et pyrethro cum melle mixtis [57]). Addit monachus, quod nostra magnopere refert, recens radix licet letifera sit, aridam tamen condimentum praebere, quod stomachum roboret, flatus pellat et quietem corpori conciliet [58]).

Peculiare habet Matthaeus caput de anthora [59]), quod transscribere placet: „Anthora est herba sic dicta, quasi contra tho-

---

senior cicutam iis plantis, quae bîsch sint accensuerit. Verba ipsius sic allegat Avicenna: ضرب من البيش شوكران. Refutatione huius asserti supersedendum erat Avicennae, siquidem Mesue bîsch habuerat venenum generatim, Avicenna vero napellum. 52) Account of the kingd. of Nepal, p. 98. 53) Wallich. l. c. p. 36. 54) Prodr. flor. nepal. p. 196. 55) Wallich. l. c. 56) Lib. II. tr. 2. c. 500. 57) Pharmacop. pers. n. 1006. p. 319. ed. Paris. 1681. 8. 58) Ib. p. 358. 359. 59) c. 44. f. 22. c.

„ram. Quae thora est satis venenosa: et dicitur anthora ab „anthi, quod est contra et thora. Notandum, quod anthora et „thora sunt duae herbae, quae oriuntur in una parte simul: et „habent folia, quasi folia violarum, sed magis rotunda et modicum incisa. Et flores sunt eis, sicut flores panis porcini, nisi „quia thora facit eos bene violaceos, sed anthora facit eos subrubeos: una pars earum est interficiens s. thora, alia autem est „sanans s. anthora".

Iungendum autem est hoc caput cum loco illo de bisch s. napello ita ut doceamus, Avicennae traditionem de bisch-müsch, seu mure ansam omni huic commento de thora et anthora praebuisse. Bisch-müsch dicebatur radix aconiti arida et cariosa, quam a muribus arrosam esse mercatores fabulabantur. Cum vero موش a nonnullis موسي legeretur, interpretes medii aevi loco muris Moses posuerunt, unde Napellus Mosis reperitur in variis auctoribus.

Seriores Graeci tandem videntur, bisch Avicennae *φθορά* vertisse, unde *ἀντίφθορα* pro bisch-musch dictum fuit. Latino-barbari, Itali saltem, cum neutiquam pronunciare *φθ* possent, abiecto *φ*, thoram retinuerunt.

Quas species noster intellexerit, dictu est difficillimum, quum descriptio satis manca sit et perversa. Etenim, si, quod veritati proximum est, Aconitum signari concedimus, folia nequaquam morabuntur dubios, quoniam plures maximeque diversae plantae, eo aevo violae nomine insigniebantur. Flores plus facessunt negotii, cum nulla fere sit panis porcini s. cyclaminis florum cum aconiti floribus similitudo. Sed color floris violaceus et rubescens in eadem specie, Aconito Napello, omnino obvius est.

Traditionem de mure, radices napelli arrodente primus explodere ausus est Antonius Guainerius, professor Ticinensis saeculo decimo quinto. Mure eo nimirum frustra quaesito, substituit muscas, quae linctu florum delectentur, turmatim circumvolent eos, simili ac flores colore gaudeant et optimum praebeant ac efficacissimum medicamentum contra virus aconiti, si cum melle et oleo, baccis lauri et terra lemnia subigantur [60]). Confirmant id Petrus Pena et Matthias Lobelius [61]), addita coniectura, Arabas interpretes graecorum librorum, *μῦν* et *μυῖαν* commutasse. Quae opinio quam falsa sit, per se patet. Neque pluris aestimanda Dodonaei sententia, *μυοφόνον* et *μυοκτόνον* dici napellum, quia mures enecet [62]) *Μυοφόνον* enim a Theophrasto vocatur ferulacea planta [63]), et *μυοκτόνον* Nicandro dicitur [64]) *πόλιον ἀργῆεν*, quod vel Teucrium Polium est, vel alia affinis species.

---

60) Guainer. de venenis. Pap. 1518. 4. 61) Stirp. advers. p. 302. 62) Hist. stirp. p. 442. 63) Hist. VI. 1. 64) Alexipharm. v. 305.

Tota haec res longe alio modo conversa est, cum novam plantam, Ranunculum Thoram L., Conradus Gesnerus in scenam produceret [65]. Eam a Waldensibus vulgo Thoram dictam, propter venenatam indolem iamdiu inclaruisse, ut et succo venatores sagittas tingant, plures eius aevi auctores confirmant [66]. Hanc esse et thoram medii aevi perperam opinantur. Anthoram vero faciunt Aconiti speciem floribus ochroleucis, quae etiamnum id nomen fert [67].

Novae exortae sunt difficultates, cum saeculo decimo sexto docti viri rem herbariam instauraturi Dioscoridis textum de duobus aconitis exponere conabantur. Is enim primam suam speciem, quam et *παρδαλιαγχές* et *κάμμαρον* et *μυοκτόνον* et *θηλυφόνον* appellabat, ita descripsit, ut sententiam Matthioli facile comprobare assensione liceat, esse Arnicam scorpioidem vel Doronicum scorpioides Willd. [68]. Et Dodonaeus eodem nomine Doronicum Pardalianches delineavit [69]. Post eos et Fabius Columna iis argumentis suffulsit haec sententiam [70], ut et nostra aetate Sibthorpius non dubitaverit, aconitum primum Dioscoridis ad Doronicum Pardalianches reducere [71].

Aconitum vero secundum Dioscoridis verum esse napellum, exploratum habemus.

Angelica Archangelica L.,

veteribus incognita, quia nec in Graeca provenit, nec, quantum scio, in Asia minore, frequens tamen in montibus Tridentinis, Pedemontanis et Galliae provincialis, primum a nostro nominatur [72]. Ultimo loco dicitur Archangelica angelica i. e. Urtica mortua. Nomen sortitam esse a praestanti et prope angelica vi medica, probabile est.

Borrago officinalis,

herba satis nota, a Simeone Ianuensi iam recensita et in Matthaeo Sylvatico [73] nominatur. Neque quidquam iis addit, quae Simeon dixerat, nisi seorsim de ea herba loquatur; Buglossam vero, quam eamdem putarat Simeon, peculiari tractatu tradat. Nomen Borrago forte e gallico-romano Borduncculus formatum. Ita enim Marcellus Empiricus Burdigalensis saeculo quinto bovis linguam vulgo appellari testatur [74]. Primam iconem ex-

---

65) De Aconito primo ad Epistol. medicinal. Tigur. 1577. 4. 66) Pona Montebaldo descr. p. 209. ed. 1617., Lobel. advers. p. 263., Dalechamp. hist. p. 1736. 67) Dodon. p. 443. 68) Matthiol. comment. p. 762. 69) Hist. p. 437. 70) Euphras. II. p. 37. 71) Flor. graec. II. p. 183. 72) Matth. c. 43. f. 22. b., c. 53. f. 26. a. 73) c. 101. f. 42. c. 74) De medicam. c. V. col. 260. ed. H. Stephan. [Editio Aldina: burdunculus.]

hibens Otho Brunfelsius [75]) multus est in diluendo errore veterum, βούγλωσσον Dioscoridis ad Borraginem recentiorum transferentium. Vestigia eius commutationis in Matthaeo Sylvatico occurrunt, siquidem lisana-baur vertit borago [76]). Prior vox arabica est depravata: لسان الثور lesân altaur, quae iam ab Avicenna usurpatur [77]), versio ad verbum reddens τὸ βούγλωσσον, sicut et punica interpretatio ἀνσαυάφ (ἀλσουνάλφ cod. Constantinop.), a Dioscoride allegata, ex ebraico לְשׁוֹן אֶלֶף explicatur. Sed Matthaeus, dum boraginem pro βουγλώσσῳ habet, sequitur potius Avicennam, taxatum ideo iam a Nicolao Leoniceno [78]). Transiit autem, quod de suo praedicat βουγλώσσῳ Dioscorides, εὐφρόσυνον esse, ad boraginem, unde adagium illud medii aevi: Ego borago gaudia semper ago, quod Ioannes Gerardus, Anglus, ita vertit: I borrage bring always courage [79]).

Caesalpinia Sappan L.

Brasil i. bratam et Brasillum, id est, batam [80]). In quibus locis protinus notandum, batam, [butm] arab. بطم, terebinthum arborem notare, confundi igitur cum bakam, بقم, vera ligni illius tinctorii appellatione [81]).

Nomen vero brasil aut bresillum antiquissimum a Phoenicibus primitus impositum fuisse, ob similitudinem ligni cum ferro, ratione coloris et duritiei, videtur. Cum ferrum in semiticis dialectis בַּרְזֶל dicatur, עֵץ בַּרְזֶל, σιδηρόξυλον appellarunt mercatores phoenicii et babylonii, qui e Gerrha et Tylo, emporiis sinus persici Indiam orientalem et Taprobanem petentes inde cinnamonum, lignum ebeni, tus et margaritas reportarunt [82]). Provenire autem lignum brasil in Ceylona, Taprobane veterum, in Sumatra (Ramana Arabum), tum in Malabaria, Arabes testantur [83]); quanquam et e Zendsch, ora Africa orientali, Zanguebar serius nuncupata, afferri Arabs Massudi perhibeat [84]).

Nostra aetate lignum id Sappan nomine, in omni India orientali et per Moluccas insulas obvium, in regno Siam tamen, aurea Chersoneso veterum, et India extra Gangem optimum crescit, et dum navigiis per mare vehitur, extus nigrescit, ut cum ebeno commutari possit, intus fulvo-rubiginosum habet colorem [85]).

America detecta, Lusitanus Petrus Alvarez Cabral anno 1500 ad oram eam America meridionalis, quae iam ad provinciam Per-

---

75) Herb. ic. I. p. 113. 76) Matth. c. 502. f. 144. b. 77) Ed. arab. p. 200. 78) De Plinii erroribus, lib. IV. f. 60. 79) Gerard. emacul. p. 797. 80) Matth. c. 105. 106. f. 43. c. 81) Abulfadli apud Cels. hierobot. I. p. 176. 82) Heerens Ideen über die Politik etc. tom. I. sect. 2. p. 222. 231. 83) Edrisi geogr. nub. 3. Notices et extraits des manuscr. II. p. 411. 84) Apud Quatremère mém. sur l'Egypte, II. p. 181. s. 85) Rumph. amboin. tom. IV. p. 56.

nambucensem pertinet, ventis agitatus fortuito appulsus, civibus suis novum lignum brasil impertiit, quod arbor largitur, Guilandina echinata * (Caeselpinia echinata Lam.), uberrime ibi crescens, unde et omnis terrarum earum tractus nomen Brasiliae nactus est. Eam nominis originem confirmant inter alios Raynalius [86]) et Krünitzius [87]).

Cakile maritima Scop.

Post Serapionem (c. 65.) et Avicennam, qui قاقلة scribunt, primus Matthaeus huius plantae meminit, quam Vermiculari similem, acetoso gaudere et salso sapore perhibet [88]). Alio loco Soldanellam vocari refert [89]), *κράμβην θαλασσίαν* Dioscoridis, seu Convolvulum Soldanellam manifesto confundens cum planta, quae, praeter similem saporem, nil habet affinitatis. Alkali ex ea parari alio loco [90]) docet, sed bene sub titulo: Kakile addit, folium esse simile folio Nasturtii, nasci demum in sterquiliniis [91]).

Centaurea benedicta L.

Videor mihi primum huius officinalis plantae vestigium in Matthaeo reperire, Benedictam enim herbam diserte [92]) et alio loco [93]) Cardobenedictum enumerat. *Ἀτρακτυλίς* Theophrasti et Dioscoridis, a Fuchsio [94]), aliisque huc tracta, longe recedit tum graveolentia, tum latice cruento, quem lacerata fundit; unde recte videtur Fab. Columna sensisse, dum Carthamum lanatum L. eumdem habet cum *ἀτρακτυλίδι* Graecorum [95]).

Corrigiolae

nomen bis in eadem columna occurrit [96]). Dicitur autem centumnodia, polygonia et sanguinaria; neque erui potest, utrum Polygonum aviculare an Corrigiolam litoralem signet.

Cuscuta

dicitur planta lino infesta [97]). Similis quidem *ἐπιθύμου* nomine, *ὡς ἄνθος θύμου*, describitur a Dioscoride [98]); quin *καδύτας, τὸ συριακὸν βοτάνιον, ὃ ἐμφύεται τοῖς δένδροις*, in Theophrasto occurrit [99]), quem locum Plinius interpretans, addit, plantam circumvolvere sese arboribus [100]). Cum in variis Plinii codicibus legatur Cassytas, haec lectio medio aevo pervulgata

---

86) Hist. du commerce des Européens, vol. V. p. 5. 87) Oecon. Encyclop. XII. p. 612. 88) c. 119. f. 47. d. 89) c. 152. f. 61. c. 90) c. 170. f. 67. c. 91) c. 373. f. 128. b. 92) c. 91. f. 39. c. 93) c. 136. f. 54. b. 94) Hist. stirp. p. 121. 122. 95) Ecphras. I. p. 19. 96) c. 179. f. 70 a. 97) c. 198. f. 75. a. 98) Lib. IV. c. 176. 99) De causs. plant. lib. II. c. 17. 100) Lib. XVI. sect. 92.

fuisse ac corruptioni in Cuscutam ansam praebuisse videtur. Hinc iam et Anguillara [1]) et Dodonaeus [2]) Cuscutam eamdem esse ac Cassytam docuerunt.

Euphrasia officinalis.

Memorabile capitulum [3]), quod totum exscribere liceat: „Eufragia lat., arab. herba adhil. Pau. cap. de eufragia. „Est herba, quae similatur in stipitibus ysopo, nisi quod stipites „sui habent colorem violaceum, et non habent ramos, et folia „sunt in stipitibus a medietate superius et sunt parva, incisa „sicut crista galliculi, et habet flores tendentes ad albedinem sa- „tis parvos. Posse. medetur egritudinibus oculorum et confor- „tat visum".

Et primo quidem notandum, cum nonnisi unum cognoscamus Paullum, Aeginetam illum celebrem, in nostris vero exemplaribus caput id de εὐφρασίᾳ penitus deficiat, statuamus necesse est, alium textum Paulli, ab Honaino, Isaaci filio, arabice versum [4]), in scholis medii aevi lectum fuisse. Namque et ipsa vox εὐφρασία de hilaritate animi solummodo usurpata, ad nullam, quantum scimus, herbam a veteribus traducta fuit. Unde et recte Otho Brunfelsius scripsit [5]), veteribus incompertam existimari. Est autem descriptio e Paullo illo, semiarabe, sumta ea, quae maximam partem ad nostram Euphrasiam officinalem quadret: praesertim folia cum foliis cristae galli merito comparantur. Superstitio illa de efficacia Euphrasiae contra oculorum morbos, ob comparatam florum formam cum oculis humanis, in Posidonio, arabice verso, iam obvia multo antiquior est, quam vulgo putatur, dum e signaturis Paracelsi derivant [6]). Post Brunfelsium iam Tragus [7]) sub nomine Augentrost icone expressit.

Fragaria vesca L.

Miratus saepius sum, fructus sapidissimos herbae, quae et in Olympo Asiae minoris et in Peloponnesi montibus nuper inventa sit [8]), in Italia etiam vulgaris [9]), a veterum classicis auctoribus, uno excepto Ovidio [10]), nusquam memorari. Medio vero aevo primus fere, qui fragorum meminerit, Nicolaus est Alexandrinus, Myrepsicus dictus, saeculo decimo tertio. Is ad ineptam compositionem etiam Φράουλι adhibet [11]), quo nomine etiam hodie fragariam Graeci signant. Proxime eum sequitur Matthaeus Sylvaticus, qui fragariam vertit: herbam fraga ferentem [12]).

---

1) Sempl. p. 227. 2) p 554. 3) c. 246. f. 92. b. 4) Herbelot. biblioth. p. 215. 5) Herb. I. p. 169. 6) Paracels. de morb. tartar. I. p. 312. De pestilitate I. p. 331. 7) Herb. f. 124. a. 8) Sibthorp. fl. graec. I. p. 350. 9) Pollini fl. veron. II. p. 154. 10) Metam. I, 104. „Arbuteos fructus montanaque fraga legebant". [Quae verba affert Matthaeus.] 11) Dispensator. III, 46. p. 260. ed. Fuchs. Frcf. 1625. 8. 12) c. 269. f. 99. c.

Iac. de Dondi, Patavinus, vergente ad finem saeculo decimo quarto, iconem fragariae non malam elaboravit [13]). Multo meliorem dedit Otho Brunfelsius [14]).

Fumaria officinalis L.

Nomen solum primum in Matthaeo nostro reperitur [15]), herba enim ipsa iamdiu Dioscoridi et nota et probatissima fuit [16]). *Καπνός* igitur Graecorum a scriptoribus medii aevi non male fumaria vertitur, cum Plinius graecam servaverit appellationem. Primam iconem Brunfelsius exhibuit [17]).

Gymnogramma Ceterach.

Quamvis *ἄσπληνον* Dioscoridis [18]) ita descripserit, ut facile hanc filicem divinare possis; Cetherach nomen tamen primum in Matthaeo Sylvatico occurrit [19]). Sunt autem eius verba: „Est „herba, quae in muris humidis nascitur, quam quidam putant „esse veram scolopendriam, licet falso, quoniam dicit, quod si- „milatur scolopendrae venenosae, pro qua lege asplenon". Quodsi Matthaeo textus Dioscoridis graecus innotuisset, eamdem esse ibi filicem, foliis scolopendrae animali similibus, utroque nomine *σκολοπενδρίου* et *ἀσπλήνου* insignitam, vidisset. Sed unum est ex innumeris exemplis, quantopere depravatus sit textus interpretationibus syriacis arabicisque. Bene hoc iam Tragus perspexit, qui filicem hanc una cum Lomaria Spicant Desv. haud male delineavit [20]).

Inula Helenium L.

Ἑλενίου nomine duplex plantarum genus in Graecis obvium est. Theophrasti herbam [21]) coronariam esse Teucrium Marum, satis probabile est. Id autem Dioscorides nomine aegyptii distinxit, simplici *ἑλενίου* nomine plantam recensens, quae omnino cum nostra Inula congruit [22]). Inula s. Enula campana, qua appellatione in Matthaeo duobus locis legitur [23]), iam in Dioscoridis synonymis numeratur, sed additur etiam a nostro, vocari panax Chironia. Id non sine iure additur; namque *πάνακες Χειρώνειον* Theophrasti [24]) iam ab Anguillara cum nostra planta congruum existimatur [25]).

Linaria vulgaris Bauh.

Prima eius plantae mentio fit in Matthaeo [26]). Comparatur cum Esula, addito versiculo: „Esula lactescit, sine lacte linaria

---

13) Aggregator de simplicibus. Venet. 1499. 4. 14) Herb. II. p. 35. 15) c. 270. f. 100. a. 16) Diosc. II, 108. 17) Herb. I p. 99. 18) Lib. III, 141. 19) c. 151. f. 61. c. 20) Trag. f. 208. 209. 21) Hist. II, 1. 6, 1. 22) Lib. I, 27. 23) c. 239. f. 89. b. c. 372. f. 127. a. 24) Hist. IX, 11. 25) Sempl. p. 89. 26) c. 497. f. 143. c.

crescit". Post nostrum Tragus bene delineavit plantam[27]; quam plebeio vulgarique sermone Scheisskraut vocat.

Matricariae

nomine primum insignitur παρθένιον Dioscoridis[28]) et Plinii[29]), cuius iconem primam cum docto commentario exhibuit Brunfelsius[30]). Est autem Pyrethrum Parthenium Sm.

Nigellae

nomen medio aevo successit μελανθίῳ[31]) ac τῷ Gith, quo optimi scriptores utuntur[32]). Barbaram tamen esse vocem, manifestum est. Nigella vero ita appellatur a Matthaeo[33]), ut addat, idem esse carvum. Tragus, qui primam exhibet iconem[34]), arabicas voces xamim Serapionis et scaunix Averrhois allegat, quae e شونيز (schunis) Avicennae depravato natae sunt.

Pimpinellae

nomen ita citatur a Matthaeo[35]): „Est herba multum similis saxifragae, unde versus: Pimpinella pilos, saxifraga non habet ullos". Revera autem saxifraga Dioscoridis [σαξίφραγον, σαξίφραγα Ῥωμαίοις] eadem est, quam medium aevum pimpinellam vocitavit. Nolo repetere, quae iam alio loco[36]) de saxifraga herba disputavi; addo duntaxat primam Tragi iconem[37]).

Potentilla

unico loco occurit, falso additamento: „amantilla, fu, Valeriana idem"[38]). Commutasse igitur cum diversa satis herba, patet. Primus Brunfelsius Potentillam Anserinam, durante per saecula appellatione, dixit[39]).

Primula veris

dicitur et passarella et herba paralysis[40]). Primam appellationem solus fere e patribus rei herbariae repetiit Matthiolus[41]); herbam paralysis vocarunt Brunfelsius[42]), Tragus[43]) ac Caesalpinus[44]). Verbascum dixit Fuchsius[45]) et Verbasculum C. Bauhinus[46]).

---

27) Herb. f. 135. a. 28) Dioscorides III, 145. 29) Plinius XXI, 104. 30) P. I. p. 246. s. 31) Dioscorides III, 83. 32) Celsus IV, 20. Columella VI, 34. Plinius XIX, 8. XX, 17. Scribon. Larg. 131. 33) c. 555. f. 156. a. 34) f. 44. a. 35) c. 573. f. 162. d. 36) Comment. in Diosc. IV, 15. p. 580. 37) Trag. f. 177. 38) c. 579. f. 165. a. 39) Herb. III. p. 43. 40) c. 580. f. 165. b. 41) Comment. p. 561. ed. Valgris. 42) Herb. I. p. 96. 97. 43) f. 77. 44) Lib. VI. c. 57. 45) Hist. stirp. p. 850. 851. 46) Pin. p. 241.

Scabiosae

nomen primum in nostro obvium est [47]). Adduntur de medica efficacia versiculi sequentes:

„Urbanus pro se nescit pretium scabiosae:
„nam purgat pectus, quod comprimit aegra senectus:
„lenit pulmonem, purgat laterum regionem:
„apostema frangit, si locum bibita tangit:
„tribus, uncta foris, anthracem liberat horis".

Quaenam autem species Scabiosae intelligatur, haud liquet, cum nulla adiuncta sit descriptio. Errorem tamen auctor committit, dum Dioscoridis στοιβήν pro eadem planta habet, quam ad Poterium spinosum pertinere probavi [48]). Errorem eum iam acerbe notavit Matthiolus [49]).

Scrofularia [50]).

De ea herba praedicat, radices habere subrotundas, avellanarum forma, albas, lac stillantes, quae subus prosint: folia etiam frangi cum stridore. Persuasum fere habeo, intelligi Sedum Telephium, quia stridor seu crepitus foliorum carnosorum et tubera napiformia congruunt; Brunfelsius etiam Scrofulariae mediae nomine S. Telephium tradit [51]). Scrofularia maior huic est vero ea, cui posteritas Scrofulariae nodosae servavit nomen [52]): eamdem significatam esse iam a Simeone Ianuensi legimus, dum Scofulariae suae folia urticae tribuit. Scrofulariam autem minorem Brunfelsius vocavit Ranunculum Ficariam [53]).

Spinacia oleracea L.,

Latino-barbaris ab Arabibus commendata, a nostro commemoratur titulo: Spinachia, graece Aspenach [54]). Est autem persica vox اسفاناخ, in arabicam linguam recepta, qua olus illud e Mesuae senioris inde aetate (saec. IX.) a pluribus eius nationis scriptoribus laudatur [55]). In Hispaniam ab Arabibus introductam esse spinaciam, Ebn Alvam testatur [56]).

Valeriana

solo nomine mancoque loco occurrit [57]); addita appellatione amantilla. Primus descripsit tres species Tragus [58]), Valerianam nimirum Phu, officinalem et dioecam [59]). Utramque priorem speciem ad Φοῦ Dioscoridis allegavit Matthiolus [60]): uber-

---

47) c. 612. f. 174. c. 48) Comment. in Dioscorid. IV, 12. p. 576. 49) Comment. p. 492. 50) c. 617. f. 176. b. 51) Herbar. I. p. 214. 52) Ib p. 213. 53) Ib. p. 215. 54) c. 637. f. 181. b. 55) Rhaz. contin. c. 52. Avic. ed. arab. p. 136. 56) Casiri bibl. escurial. I. p. 332. 57) c. 669. f. 189. c. 59) Herb. f. 23. 60) Comment. p. 30.

rime autem Fabius Columna historiam praestantissimae plantae illustravit [61]).

Vincetoxicum [62]).

Haec Cynanchi species a Dioscoride iam ἀσκληπιάδος nomine [63]) celebratur, quod primus Fuchsius probavit [64]), defensus etiam contra Matthioli obiectiones a Dodonaeo [65]) et Lobelio [66]).

XXI.

DE VARIIS MORBI SYPHILITICI FORMIS.

(ORATIO EX MS.)

Actum huncce solemnem rite auspicaturo libet quaedam de variis syphilitici morbi formis praefari, quae nuper Syphiloidis nomine celebratae alii et diverso prorsus morborum ingenio adscriptae, diversa plane curandi ratione oppugnatae sunt. Unde et, quae saeculo decimo quinto saevire ordita est lues, his potissimum formis adiudicandam esse censuere, qui nostra memoria et antiquitates morbi et ipsam naturam illustrare conati sunt, in quibus praesertim Hamiltonius et Beatsonius nominandi veniunt.

Id autem iamdiu animadversum est, morbi venerei formas decursumque tum ad climatis indolem tum ad incolarum vitae genus sese accomodare. Effrenata libidine ac dissoluta licentissimaque vita, quam humanum genus post expeditiones sacras gessit, generati sunt, accedente leprosa constitutione, innumeri verendarum partium affectus, qui in singulis hominibus, quorum memoria nobis tradita est, tandem in luem transierunt universalem. Cuius curationem cum medici eius aevi plane ignorarent, adeo increbuit in Europa australi contagium, maxime versus finem saeculi decimi quinti, ut novum nonnulli morbum crederent, quem gallici vel hispanici vel neapolitani nomine insigniere, prout frequentius ex hac vel illa regione adventasse existimarent. Iis, qui gallicum dicerent, favit inprimis appellatio ea, tum a Petro Martyre de Angleria 1488, tum a Scillato, cum Barcinonae 1494 degeret, iam usurpata, tum Casp. Torellae testimonium, qui iam

---

61) Ecphras. p. 210—220. 62) c. 681. f. 190. d. 63) Lib. III. c. 96. 64) Hist. p. 129. 130. 65) Hist. p. 407. 66) Advers. p. 278.

1493 in Arvernia saeviisse morbum comprobat. Multo minus commendanda hispanici vel neapolitani morbi nominatio, quoniam bellum, quod in Italia gessit Francorum rex Carolus VIII, nusquam Hispanorum cum Gallis conflictum produxit. Etenim nulla praevia, quae toties praedicata est, obsidione Neapolitana, haec urbs ultro 1495 mense Februario se in ditionem regis Caroli permisit. Copiae autem hispanicae, quae forsan contagium afferre potuissent, duce Cordova, Maio tandem mense appulerunt ad Messanam, cum Galli iam reduces e Neapoli essent. Neque minus verum est, quod Fulgosus, dux Liguriae, testatur, biennio antequam Carolus in Italiam veniret, luem ibi iam grassatam esse. Hinc et a veritate longe alienum est, ex America allatam esse.

Primi observatores, nimis creduli et praeiudiciis scholae obcoecati, passim perhibent, morbum, sine praeviis partium verendarum affectibus, totum corpus invasisse. Nec coitu propagari et Vella et Montesaurus et Scanarolus statuerunt, quod matronas sanctas et moniales castissimas morbo gallico affligi viderint, quodque tum constellationi adversae planetarum, tum epidemicis caussis, tum demum hepatis affectibus originem debeat. Missis his antiquatis commentis, ventilanda est eorum opinio, qui Syphiloidem seu morbum spurium venereum eum fuisse autumant, qui saeculo decimo quinto saevierit, ac nonnisi cum Scherlievensi morbo aut cum scotico morbo Sibbens comparandum esse. Illam sententiam protulit Cambierius, hanc Hamiltonius.

Scherlievensis morbus grassatur in agro fluminensi, hactenus crudelis, ut e quadraginta millibus hominum quatuordecim millia eo conflictarentur. Maxime autem memorabile est, nunquam ordiri a genitalibus, nec ulcera nec bubones conspici, priusquam erumpat. Unicum duntaxat memoriae traditur exemplum blenorrhoeae. Orditur autem doloribus ossium, quos excipiunt raucitas, dysphagia, uvularum tonsillarumque tumores cum ulceribus et carie; tum vero silent dolores osteocopi. Alternant ulcera oris cum pustulis cuprei coloris frontis, quae nec magnopere pruriunt, nec ichoris multum profundunt; sed erysipelate cinctae sunt. Inter ipsas pustulas nascuntur tubercula, saniem glutinosam eructantia et escharis tecta. Tum sequuntur ulcera omnium partium callosis marginibus circumdata, quae adeo faciem servant syphiliticam. Hanc luem diuturnam neutiquam enecare aegrum sed diutissime trahere, donec calore et motu, sponte interdum sanetur, licet hydrargyrum tamen proficuum sit, Itali referunt. Quae quidem si vera sunt, longe recedit is morbus fluminensis a pristina syphilidis forma: namque boni primique observatores, Scillati, Marcelli Cumani, Saliceti et Torellae exemplis, candide fatentur, primaria symptomata, tantum non semper, fuisse pustulas et ulcera prava genitalium.

Alia forma, nostra memoria inventa, in Canada gallica occurrit, nomine sinus Pauli, ubi plura millia hominum, minus indi-

genarum quam europaeorum corripit. Inchoat autem pustulis rodentibus oris, labrorum ipsiusque linguae, rarissime genitalium. Aphthis similes eae pustulae saniem albam exsudant, quae quaquaversus contagium propagat, ipsisque vestibus, linteis, poculis et utensilibus adhaeret. Comitantur pustulas tumores glandularum colli, axillarium inguinaliumque, alternant vero cum doloribus ossium, nunciis cariei aut aliorum vitiorum ossa infestantium, quibus herpetes accedunt maligni quidem, sed saepe fugaces iterumque recrudescentes. Denique transit malum in cachexiam cum phthisi, visus auditusque iactura capillorumque fluxu. Contagio propagatur, minime aut rarissime saltem coitu communicato.

Simillimus est morbus scoticus, quem Sibbens appellant. Pariter ulceribus oris labrorumque orditur, totam saepe faciem, ipsa oris interna, amygdalas, linguam, uvulam depasturis. Etiamsi immunes non sunt partes genitales, multo minus tamen afficiuntur.

Neque aliena et lepra norvegica, quam Radesygen Dani, Spitålsket Sueci, accolae autem maris baltici in Pomerania, Megapolitano ducatu et Holsatia Marschkrankheit nuncupant. Uterque morbus videtur e complicatione syphilidis cum scorbuto ortum ducere: namque gingivarum tumor cum sanguinis profusione; ulcera dolentissima, sine marginibus callosis, gignunt carnes luxuriantes moriformes assiduoque cruentas.

Earum vero formarum curatio nititur praeprimis cautissimo hydrargyri usu. In ultima quidem, lepra nimirum norvegica, hydrargyrum cum stibio ita iungendum est, ut mercurio dulci sulfur stibiatum aurantiacum addamus. Neque respuendum est opii adminiculum, quod cum his remediis iunctum egregie confert. Dein confugiendum est ad acida nitricum et muriaticum; victus etiam eligendus ex oleribus herbisque recentibus; quid quod ipsa brassica acidae fermentationi commissa saepe opitulatur.

XXII.

DE RABIE CANINA.

(ORATIO EX MS.)

Actum hunc solemnem auspicaturo placet de capitalis teterrimique morbi; rabiei nimirum, quae morsum animalium rabidorum excipere consuescit, indole ac natura quaedam proferre, quae ni morbum ipsum clariorem reddant, symptomatibus tamen variis lucem fenerant. Vestra saltem, auditores, attentione haud indigna esse videntur.

Antiquitus autem duae potissimum opiniones de morbi huius natura invaluerunt, quarum altera nervos primitus ac maxime affici, altera statuit inflammationem partium subesse nobilium. Posterior sententia, obiter quidem, primum producitur a scriptore hippiatrico saeculi quarti, Apsyrto Prusensi, qui meningum inflammationem constituere sedem morbi edixit. Nervosum autem esse morbum manifesto haud docuerunt veteres, sed collineant ad id observationes Rufi Ephesii, quas Aëtius servavit: posse nempe vinci morbum ope voluntatis firmae, nasci igitur aut augeri saltem imaginationis ope perversae. Cui quidem opinioni succurrunt exempla morbi a morsibus canum haud rabidorum nati, a Steegio, Badero, Hamiltonio aliisque narrata, ubi continua meticulositas et angor, fuerintne canes, a quibus morsi erant homines, vere rabidi sive secus, adeo perterruerunt homines, ut in veram inciderent hydrophobiam, etiamsi sani deprehensi fuerint canes. Quemadmodum tetanus, dum aër est depravatus, leviores excipit plagas, ita videtur morsum animalis, dum systema nervosum imaginatione perversa lacessitur, sequi posse spasmorum caterva, quorum primarius fere est gulae ea constrictio cum potuum horrore, quam comitari tamen etiam vidimus febres nervosas acutas. Sic et myrmecismus seu formicationis sensus praegrediens, ex loco morso prorepens ac nervorum cursum legens, nonne et morbum cerealem et comitialem stipatur? Insigne autem adquirit fulcimen ea sententia cadaverum sectionibus, quae quamquam saepius varia detexerunt, postea a nobis memoranda, ita nonnunquam nullum sub sensus cadens vitium produci docuerunt. Id autem praeprimis post acutum eius mali decursum animadversum est, nil plane a legibus naturae alienum fuisse, si recesseris a polypis cordis, qui tamen agone potius efficiuntur quam singulari quadam morbi specie. Testes advoco Hamiltonium, Stollium Heimiumque, medicorum berolinensium Nestorem et antesignanum.

Vulgaris dein est observatio, cadavera hoc morbo defunctorum citius putrescere quam alia, quod nescio an ex alio fonte quam ex enormi partium solidarum agitatione declarandum sit.

Namque idem contingit et in cadaveribus eorum, qui epilepsia maniaca aut convulsione cereali enecati fuerunt. Unde et intolerabilis foetor, quem et media hieme mox post fatum eiusmodi cadavera exhalant, lucem accipit. Sanguinem quoque post mortem adeo fluidum invenerunt varii, ut prosiliret e venis etiam duodecima post obitum hora, et minime in coagulum abiret aëri frigido expositus.

Ut ad viscera progrediamur, antiqua est Caelii Aureliani sententia, ventriculum praeprimis affici, quod e vomitibus singultibusque efficere studuerunt Artemidorus Erasistrati et Artorius Asclepiadis sectator. Equidem, licet haud inficiar, inflammationem gangraenosam stomachi a Morgagnio, Brogianio et aliis post mortem inventam esse, videor tamen mihi caussam dispicere. Namque in diuturnis potissimum casibus id observatum fuit, sicut et in variis aliis morbis nervosis, si diutius traxerint aegrum, inflammationes viscerum sequi solent. Hinc secundarium habeo morbi effectum, haud primariam caussam, eas inflammationes. Idem meum est de vermibus iudicium, quos Hamiltonius, Gherardinius et alii in intestinis invenerunt. Nascuntur lumbrici in variis febribus nervosis, quae ideo verminosae vocabantur, quamvis nusquam antecessisse morbum compertum sit. Bilis acerrima, atra seu alio modo corrupta, a cuius stimulo tum veteres, tum in recentioribus Boscius et Brevelius morbum proficisci existimant, pariter habeo effectum convulsionum dirarum, quibus omnia viscera, maxime vero digestioni inservientia, lacessuntur. Quid enim vulgatius est, quam post febres malignas aut etiam post epilepsiam maniacam eiusmodi fellis corruptionem deprehendere?

Ad thoracis contenta properandum est, in quibus cor potissimum affici Magni Ephesii fuit sententia; exarescere vero omnia alii statuerunt, ut et Pelops, Galeni magister, passionem siccissimam diceret organorum thoracis. Et memoratu quidem dignum videtur, egregie confirmari hanc sententiam nuperis observationibus. Sic legere memini in Capivaccii, professoris Patavini, medicina practica, quae ante duo et quod excurrit saecula prodiit: Cum dissectum esset monachi cuiusdâm rabie canina exstincti cadaver, tria notanda apparuerunt: primum, nulla aderat aqua in pericardio, tota erat consumta ab hoc igneo veneno. Dein sinus cordis conspiciebantur aridi et sanguine prorsus destituti; tertio in pericardio portio quaedam erat ferme combusta ac in pulverem redacta. Pericardii siccitatem et concretionem cum corde plerique recentiores annotarunt, quam vero sequi potius convulsiones tetras atque ipsam inflammationem persuasum habeo. Inde elucet, inflammationem cordis et pericardii ipsam, quam pauci duntaxat observarunt (Lupacchini et Andry) existere e diuturna morbi huius mora, sicut et phlogoses abdominales ex eodem fonte manare perhibuimus.

Cum autem primitus pati videantur organa deglutitioni ministrantia, in haec circumspecte inquisiverunt nuperi. Pharyngem

autem cum oesophago, laryngem cum aspera arteria inflammatos aut lividis maculis gangraenam sphacelumque indicantibus obsessos plerique repererunt. Neque tamen negandum, interdum, et ab ipso Morgagnio haec organa ab omni vitio immunia deprehensa esse, ut constrictum quidem pharyngem aut pituita farctum at nequaquam graviter alienatum viderit. Solus fere Sallinus ante quadraginta fere annos ganglia nervorum cervicalium hactenus vidit inflammata ut tunicae sanguine turgerent: quae observatio uberius confirmata symptomata morbi peculiaria et principalia illustrare potest. Ganglia enim cervicalia pharyngi praeprimis ita provident, ut accessorium Willisii augeant, qui nervus cum musculis cucullari et sternomastoideo energiam tribuat, contractio spastica et lateralis horum etiam musculorum exponitur.

Ceterum meningum inflammationem, quam iam veteres divinarant, nostra etiam aetate observationibus confirmarunt Meadius, Schnieserus et Gherardini. Hic per nervorum tunicas propagari eam inflammationem vidit. Iusto sicciorem cerebri molem ipsiusque medullae spinalis, concretionem quoque cum velamentis recentiores haud raro invenerunt. Existit autem id vitium ex eadem caussa, quam ariditas cordis pulmonumque agnoscit, siquidem nervorum distentiones convulsionumque atrocitas et in aliis morbis, epilepsiae exemplo ac maniae, eamdem siccitatem producunt.

Huic autem expositioni eo libentius adhaereo, quo clarius est, virus rabiei haudquaquam vasis lymphaticis sorberi, neque glandulas prius afficere quam nervos, diutissime etiam morari, antequam nervorum systema hactenus alienatum sit, ut diras pati possit convulsiones.

XXIIII.

DE CARTESIANAE PHILOSOPHIAE EFFICACIA IN MUTANDA ARTIS MEDICAE INDOLE.

(ORATIO EX MS.)

Actum hunc solemnem auspicaturo placet caput quoddam ex artis medicae historia tractare, in qua quidem investiganda, tradenda ac scribenda optimos vitae meae annos degi. Elegi nimirum quaestionem de Cartesianae philosophiae efficacia in mutanda artis medicae indole. Cartesius enim ad internecionem

fere scholasticos philosophos prosequens, in eo totus fuit, ut matheseos studium cum philosophia iungeret, ut corporis compagem e minimis corpusculis conflatam ex eorum atomorum forma ac rationibus exponeret, unde et medici celeberrimum virum imitantes similia ratiocinia in theoriam medicam introduxerunt, ipsamque morborum curationem his argumentationibus superstruendam esse existimarent. Ut igitur ordine progrediar, inchoandum est ab iis praeceptis Cartesii, quae fundamentum doctrinae ipsius constituunt. Est autem princeps assertum, a quo proficiscitur omnis Cartesii naturalis philosophia, spatium corpusque non re ipsa differre, sed modo duntaxat, quo a nobis concipi soleant. Revera enim extensio in longum, latum profundumque, quae spatium constituat, ipsi dicitur eadem plane esse cum illa quae corpus stabiliat. Cum autem ex hoc solo, quod corpus sit extensum in longum, latum et profundum, sequatur, illud esse substantiam, hoc valet etiam de spatio: ideoque vacuum esse omnino nullum, cum nusquam non reperiatur substantia, perhibet. Hinc etiam, si quae adsint particulae, quas atomos vocent, has et corporis participare indolem, ergo etiam dividi posse in infinitum. E vacui fuga aliquid explicare vetabantur Cartesii asseclae pariter ac atomorum formas et molas credere aeternas, constantes ac moveri aut mutari nescias. Alterum praeceptum, e priori fluens, corporis motum ipsum exponere studet. Cum nempe essentia materiae sola sit extensio, praeterque eam nihil, ceterae eius qualitates tanquam modi fortuito et extrinsecus accidentes considerantur. Motus ergo corporum qualitas quaedam est neutiquam ab internis corporis viribus pendens, sed impulsum agnoscens a primo motore, Deo nimirum, qui primitus materiae facultatem motricem impertiit. Differunt autem corpora a se invicem pro cohaerentiae maiori vel minori gradu: hic cum interno motu et proclivitate ad eumdem in fluidis, ille cum quiete est iunctus, nisi ab externis rebus impulsus contingat. His suppositis Cartesius ad efficientes transgreditur caussas, quas finalibus ubique esse praeferendas autumat. Non tantum enim nos debere nobis arrogare, ut divinorum participes consiliorum nos esse putemus, sed materiales caussas rimari nos oportere, ut sapientiam Dei cognoscamus. Ex forma enim, motibus atque figura materiae effectus ipsius posse unice exponi. Antiquatis igitur scholasticorum caussis finalibus (quibus solis inhaerebant) substituit Cartesius eas ipsas rationes, quas per plurima saecula neglectas, tanquam primordia verae philosophiae naturalis considerare licet. In his autem rationibus uberius dilucidandis magnus vir haud abstinuit ab opinationibus iisque commentis, quae ingenii potius lusus quam naturae praecepta dicenda sunt. In initio enim rerum omnium particulas infinitas mundi spatium implevisse, haud globosas, quoniam globuli haud satis impleant spatium, sed cuiuslibet formae. Hanc vero, qualisqualis fuerit principio, non potuisse non successu temporis fieri globosam, cum ingenti vi mota

corpuscula usque semet invicem impegerint, attriverint ac laevigaverint. Quicquid corpuscula agitata detriverint, ramenta subtillissima seu scobes minutissimas, iis impleri intervalla corpusculorum, hactenus tamen, ut et concitatiori motu circumpellantur et rotentur, quam ipsa corpuscula primaria, quia per angustas vias et obliquas expellantur. Vortices certos formant eae subtilissimae scobes, quorum centrum corpusculum quodvis constituit, polis suis praeprimis vicina ramenta attrahens. Eam hypothesin commentus esse Cartesius videtur, ut magnetismi phaenomena exponeret, neque tamen ea abstinuerunt, qui postea vel vitae leges vel phaenomena vivi corporis explicaturi erant. Corporum denique terrestrium elementa in tria potissimum genera acutissimum philosophi ingenium dividit. Quaedam enim opinatur in varia quasi brachia divisa atque hinc inde expansa, tanquam arborum ramos; haec esse maxime, quae a materie coelesti deorsum pulsa sibi mutuo adhaereant. Alia vero esse solidiora et angulosa, quae si maiora, vi gravitatis descendant, minuscula, maioribus immixta manere intervallaque occupare ab ipsis relicta. Tertium genus esse oblongum atque bacillorum aemulum, quae prioribus semet interserant, neque tamen facile iis nectantur. Id quidem commentum latissime regnavit per omnem artis nostrae ambitum. Namque, postquam alcali et acidum ad dignitatem primordiorum corporis organici evecta erant, figuram eorum comparare consuerunt cum elementis Cartesianis, ut alterius formam cum bacillis, alterius cum parallelepipedis foratis componerent, neutros autem sales ex intrusis bacillis in foramina corpusculorum angulosorum exponerent. His autem commentis alia Cartesius adiunxit, physiologiam corporis humani etiam magis illustratura, colorum puta cribrorumque et fermentorum applicationem. Coctionem enim et ciborum digestionem nil aliud esse quam separationem subtiliorum chyli particularum a crassioribus, quae remaneant, velut in colo et cribro simile contingit. Sanguinem rubrum parari ex albo chylo fermentationis ope, sicut succus uvarum albus, dum fermentat, in rubrum vinum abeat. Ea expositio, licet inepta, hactenus tamen arrisit medicis ut millies fere repeteretur. In ea autem fermentatione evolvi ignem ei similem, qui e coniuncto ferro cum acido nitri elicitur. Eius ignis adminiculo rarefactus sanguis irruit in arterias, quarum diastole, quin et ipse cordis motus, efficiuntur sola sanguinis ebullitione. Progredientem per arterias sanguinem etiam magis rarefieri autumat Cartesius, ut tandem in naturam spirituum vitalium animaliumque mutetur, solidiores vero particulas venis iterum, quae cum arteriis cohaereant, revehi, unde, Cartesium fuisse circuitus ab Harvaeo stabiliti propugnatorem, patet.

Haec autem philosophandi ratio variam eamque memorabilem exseruit efficaciam in arte medica. Protinus illud commentum de inertia omnis materiei atque de vis verae defectu in corpore peperit Stahlianam doctrinam; quamvis proclivitas schola-

rum germanicarum ad mysticam theologiam et dominatio archei, seu principii spiritualis, ab Helmontio stabiliti, eam theoriam iam praeparassent. Primum enim et palmarium Stahlii praeceptum fuit, corpus nulla vi pollere, sed omnem inpulsum extrinsecus accipere, unde et omnem motum nuncupavit actum spiritualem, sicut Malebranchius, Cartesii assecla, a Deo proficisci omnem motum in mundo, perhibuerat. Priusquam autem hoc modo Cartesii doctrina in scholas medicas introduceretur, iamdudum commenta ipsius de forma an figura primorum elementorum adeo placuerunt batavis maxime medicis, ut omnem chemicam artis medicae theoriam iis superstruerent. Neque satis mirari possumus levitatem saeculi dicam an inertiam, qua factum est, ut eae hypotheses, omni prorsus ratione carentes, tamdiu tamen in scholis defensae fuerint et exornatae. Brunneri enim experimentis, Boylei egregiis ratiociniis et Friderici Hofmanni doctrinae tandem cessit refutatio ea commentorum illorum, ut risui traderentur et contemtui. At vero pernicies ingens, quae ex iis manavit opinationibus ac scholae commentis, arti nostrae ipsique saluti generis humani per saeculi fere spatium magnopere nocuit. Quibus rite perpensis facillime colligitur, maiorem noxam arti salutiferae inferri non posse, nisi ex hypothesium praepostero usu atque e ratiociniorum applicatione ad regulas artis.

XXIV.

DE HONORE MEDICI.

(ORATIO EX MS.)

Ut iuvenem hunc, cuius patrem iam in discipulis habui carum, in amicis amantissimum, ad honores summos ambeundos commendarem, constitui, de honore medici verba facere. Eum autem honorem vel maximum versari in servitio naturae probaturus, ordiar ab iis, quae prima rerum omnium stamina dicuntur.

Homo omnium curiosus, negligens sui, infinitae in alienis pervestigandis industriae, successuum adeo felicitate clarus, Delphici vero moniti vel immemor vel contemtor, semet turpiter ignorat; se inter illa, quae sui ponit arbitrii, ineptissime saepe regit atque gubernat, quia vel sui scientia caret, vel si ea pollet, male ac obiter duntaxat ea utitur ad sanitatem et animi et corporis servandam. Quotus autem quisque naturam corporis investigare cupit atque cognoscere, is sensus suos, acres fidosque rationis speculatores acuat, auctaque per artem horum fa-

cultate fabricam exploret, sola sic natura praemonstrante, per intentos sensus assequetur structurae modum. Neque alia datur, quicquid incauti fingant, quicquid moliantur praecipites, via, praeter eam, quam natura munivit. Omnis propemodum medici scientia doctrina nititur solius naturae: namque ratiocinia omnia de caussis functionum, quas corpus nostrum exercet, ni e natura proficiscantur, hanc solam magistram confiteantur, futilia esse ac vana profecto videntur. Ut unicum afferam exemplum, liquores, quos natura in corporis variis organis quovis momento parat, tam arcanae sunt indolis ac mixtionis, ut omnia omnium saeculorum inventa, etiam splendidissima nostrae aetatis, parum duntaxat lucis huic quaestioni solvendae fenerent. Nec doctissimus aut dexterrimus quisque artifex chemicus vel guttulam cruoris aut roris illius, quo oculi humectantur aut narium penetralia irrigantur conficere potest. Ascensuri autem ad primam molitionum omnium functionumque caussam, nonne cogimur plane ac compellimur, ut et nostram fateamur ignorantiam et naturae veneramur ac adoremus sapientiam et ἀυτοκρατείαν? Ortum primi impetus ecquis exponere audet? Leges eius quis intelligit? Ille profecto solus, qui consensum unum, congrua omnia esse in corpore, atque κύκλου γεγενημένου ἀρχὴν οὐχ εὑρίσκεσθαι, cum Hippocraticis auctoribus perspexerit. Ut enim cor, quod princeps nonnulli viscus habent, agat, nervorum eget efficacia, quae lacertos cordis excitet. Neque nervis haec facultas nisi a cerebro est. Atqui huius potentia imputanda arteriarum sanguini, per cordis ipsius actionem in cerebrum impulso. Caussa ergo effectu suo prior, tamen ab hoc pendet. O quam sensere semet elusos, qui sagacitate sua elati, sperarent caussam motuum vitalium invenire vel in ipsa partium fabrica vel in humorum elementis! Sero tamen post tot conatuum vanitatem visum fuit, oportuisse prius intelligere, vitam esse longe superiorem omni mechanismo pariter ac chemica mixtione, redeundum igitur esse ad naturam, cuius opera omnino legibus universalibus conformia sunt. At in gravem illabuntur errorem, qui mortalium commenta de naturae legibus pro ipsis naturae scitis habent. Differunt autem commenta hominum ab ipsis naturae legibus, quod illa, paucis observationibus nec inductioni nixa generali nec necessaria consecutione efficiuntur, sed arbitrio potius aut lubitui conformia sunt.

Acutissima mentis acies et intentissima, ut has cognoscat ex se ac intelligat leges, nihil fere valet, a sola vero natura discit omnia. Graeci philosophi, qui in metaphysica vera certaque pleraque explorarant ac tradiderunt, in primis tamen corporis nostri principiis magnopere hallucinati sunt, quod naturae nutibus minus obsequerentur, quam suis opinationibus. Simili plane ratione ac doctrina de corporis nostri natura comparata est disciplina de medicaminum venenorumque actione. Etenim quaecunque pro genio saeculi commenti sunt homines, ut vires medicaminum et effectus generalibus subiicerent legibus, concidunt

fere omnia, dum, observationibus fidis neglectis, solo ratiocinio stabiliuntur. Quid enim, ut vel in unico subsistam exemplo, doctrina de azotico per metallorum seriem regnante iuvavit ad vires metallorum exponendas? Ferrum enim, hydrargyrum, stibium zincumque quanta efficaciae diversitate gaudeant, ut et sibi quadantenus opposita sint, ferri exemplo hydrargyrique, tralaticium est et tritissimum. Quibus positis intelligitur, multo consultius agere, qui, valere iussis de elemento metallico, azotico nimirum, quaestionibus, naturam corporum solam, liberi a servitio opinationum, percontantur, fida observatione duce et comite.

Quam parum explorata est venenorum natura, quam miraculorum fere plena, quam dira eorum efficacia, ut nec acer Achilles, nec fortis Diomedes, nec prudens Ulysses, nec divina Socratis natura mortis effugium consequantur. Et medicus ipse, tametsi in artis sapientia princeps sit, tironem tamen se profitebitur, venenorum actionem expositurus. Mortalium fortissimus quisque, summoque sanitatis vigore aetatisque superbus, vel guttulas paucas acidi borussici deglutiat: confestim concidet, velut fulmine ictus. Quomodo id exponendum, quaenam artis praesidia huic veneficio opponenda sint, etiamnum latet. Viperarum venenum quot quantaque exhibet mysteria! quandoquidem vel millesima grani pars sufficiat ad passerem illico trucidandum; cum gummis aemulum venenum saporisque fere expers subitaneam tamen putredinem cieat; cum dolores vehementissimi topici cum tumoribus inflammatoriis, ictero, vomitu bilioso et animi defectionibus symptomata sistant aegerrime componenda ac dilucidanda; cum et liquoris ammonii cum oleo succini s. aquae Luciae usus theoriam fere nullam admittat. Crotali horridi virus cur sitim exstingui nesciam et gangraenam citissime letalem faciat, cur Polygala Senega ac Prenanthes Serpentaria praesentissima largiantur adminicula, plane nescimus. Quid iuvat omnis physica chemicaque doctrina, ut haec pateant arcana? Quodsi ad verum res exigitur, soli naturae unique confidendum observationi, quae, quicquid noceat aut opituletur, docent. Hic subsistit prudentia, nec inani figmentorum licentiae indulgens, solertiam acuit, observandi ardorem auget, ut occulta in lucem trahantur.

In sanandis autem morbis principatum sibi vindicat natura, quae vulnera pura sua consolidat sponte et ossa fracta, si medicus, naturae minister, peregrina arcet, separata in situm naturalem reponit. Ulcera quomodo consanescunt? Nonne puris solius benigni ope, quod ars nulla, sola natura patrare potis est? Vix alieni quid furtim vel palam in corpus agit, cum confestim natura falli nescia lacessita motus ciet ad expellendum, quod mora noceret, ad mitiganda aspera, ad spissa solvenda, ad mutandam partium mixtionem hactenus, ut corporis humoribus similes fiant. Sic cietur febris, cuius salubritas quanta sit, brevibus dici nequit. Id eximii autem habet omnis febrilis motus, ut incurabilium alioquin morborum sanationem reddat perfectam. Eam

autem observare, tempora circumspicere, succurrere naturae si forte obstaculis impeditur, patrare ea, quae sapientissimo consilio molitur, medici est; ut et summum honorem medico decernere fas sit, si inserviat nutibus naturae febrem excitantis. Hinc et *δημιουργόν* summum *καὶ τεχνίτην* nuncupat naturam Galenus, quae et dolores producit, tot malorum auctores, vitae tamen simul custodes, quibus alliciuntur mutanturque humores, subiguntur et arceantur aliena, viresque hactenus lacessuntur, ut stases et quae alioquin nocitura essent, amovere possint. Itaque egregie monuit antiquus ille Hippocraticus auctor, *τὴν φύσιν ἀπαίδευτον ἐοῦσαν καὶ οὐ μαθοῦσαν τὰ δέοντα ποιεῖν καὶ ἀνευρίσκειν ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους;* itaque et *τὰς φύσιες εἶναι τῶν νούσων ἰατρούς* vetus illud praeceptum statuit. Satis igitur constat, auditores, medici esse, naturae leges circumspecte audire atque fideliter exsequi, ut summum nanciscatur honorem, nempe ministri naturae. Talem se exhibuit stator atque verus auctor artis nostrae, Cous senex, ubique non solum monens, sed suo etiam exemplo probans, optimum medicum esse naturae sectatorem. Tales naturae ministri fuerunt medici, quotquot in omnibus propemodum nationibus et saeculis honores summos assecuti sunt. Hinc et spero iuvenem patriae virtutis aemulum, qui se iam ad honores academicos capessendos accingit, summum quaesiturum esse honorem in naturae ministerio.

XXV.

DE LOQUELA HUMANA

COMMENTARIOLUS, QUO HONÔRES SUMMOS ACADEMICOS IN UTRAQUE MEDICINA A FACULTATE MÉDICA HALENSI VIRO ILLUSTRI ET EXPERTISSIMO CAROLO AUGUSTO SCHULZ, REGI SAXONIAE, DUCIVARSOV., A CONSILIIS MEDICIS, MEDICORUM ET CHIRURGORUM IN LEGIONE SECUNDA POLONICA PRAEFECTO, AD DIEM XII. APRILIS MDCCCIX MANDATOS CELEBRAT.

I.
LOQUELAE INSTRUMENTA.

Si loquelam humanam cum veteribus Stoicis dixerimus esse vocem articulatam atque ratione emissam, a veritate haud longe recedere nobis videmur. Etenim vocem simplicem vel instinctu ac necessitate bestiae emittunt, si modo pulmonibus praeditae sunt et larynge; sermonem vero edere nequeunt, nisi voci modos imponere ac articulare eam ope peculiarium organorum, voluntati consciae subiectorum, possint. Imitari quidem loquelam humanam discunt varia animalia, quibus lingua liberius movetur, maxime psittaci, picae, sturni et corvi; nequaquam vero sermocinantur, cum nulla voluntatis conscientia, nullum rationis vestigium hanc producat garrulitatem, servitutis potius auctoramentum, quam testimonium rationis. Sed haec postea diligentius. Iam de organis sermoni inservientibus praecipiamus.

a. LINGUA.

Est autem partium earum omnium concentus, quae ore continentur et id constituunt, necessarius ad loquelam formandam. Quarum primaria est *lingua*, mobilissima ea, musculis nervisque copiosis instructa pars, quae arbitrio movetur, cum nervi e gangliis haud orti libertatem motus et conscientiam producant. Princeps eorum nervorum est *hypoglossus*, seu lingualis medius, more spinalium nervorum pluribus radiculis inter corpora olivaria et pyramidalia originem petens, dein iuxta arteriam vertebralem e foramine condyloideo ossis basilaris emergens, cum nervo accessorio Willisii, cum cervicalibus supremis et phrenico et pare vago anastomosans, in musculos ossis hyoidis et linguae ipsius ita abiens, ut ope filamentorum etiam cum gustatorio ramo quinti paris iungatur.

Alter nervus, qui motibus linguae inservit, *glossopharyngeus*, e medulla oblongata ortus, a pare vago seiunctus, per

foramen iugulare ita prodit, ut et cum sympathico nervo et cum vago iungatur, distributus in constrictorem pharyngis, ossis hyoidis musculos et ipsam linguam. Haud deest is nervus omnibus animalibus, quae lingua gaudent, ut et pisces ramulo gaudeant vagi nervi, vices huius glossopharyngei gerente: sed hypoglossus cessat in amphibiis, quorum lingua lateribus firmata immobilior est quam in superioribus ordinibus. Ortus nervi acustici e cruribus cerebelli seu corpore restiformi, proximus hypoglosso, a Gallio nuper dispectus, mutitatem explicat cum surditate plerumque iunctam.

Cum principes motores linguae hi sint nervi, facile quis effecerit, eodem modo agere etiam eos posse in animalibus ac in humano genere, ni superior necessaria esset facultas rationis, conscientiae et libertatis, qua carent bestiae.

Musculi linguae fere iidem in superioribus animalium ordinibus sunt ac in homine. Tria constituunt strata parallela, quorum utrumque externum, styloglossis compositum, a processu natum styloideo, latera linguae et margines obvestit et apicem demum attingit: medium vero a radice ipsa inferiores occupat partes, a postica parte massae membranosae iunctum, quae cum epiglottide et osse hyoide linguam nectit. Praeterea ab ossibus his fasciculi terni linguam adeunt, qui, sursum tendentes, fibras lingualis musculi decussant, antrorsum vero ita secedunt, ut vacua spatia ab alio musculo, genioglosso, qui et cum osse hyoide cohaeret, plerumque verticali et radiato, occupentur.

Eo musculo lingua antrorsum trahitur et cava redditur: retrorsum contrahitur hyo- et styloglossis. Quorum alter si cum musculo linguae peculiari simul agit, id organon latera versus tendit. Deorsum lingua movetur peculiari eo musculo linguali.

Retractio autem linguae non musculis duntaxat illis, hyo- et styloglossis, perficitur, sed elevatione etiam mandibulae inferioris, ossis hyoidis et ipsius laryngis. In quo quidem munere primas fere partes habent musculi mylohyoidei, seu transversi mandibulae, qui os hyoides ipsamque linguam elevant, hanc autem palato apprimunt. Iidem fini inserviunt stylohyoidei, biventres maxillae et ipsi pharyngis constrictores, ut in deglutiendo facilius glottis claudatur.

Dein musculus circumflexus palati detrahit molle palatum, auxiliante palatopharyngeo, ut lingua eo melius cum palato iungatur.

Ea linguae mobilitas varia est in variis animalibus. Generatim quidem praecipi potest, eam linguae formam, qua homo gaudet, in omnibus propemodum animalibus deesse. Vel enim angusta est et longa, maxime in iis, quae proxime ad humanum genus accedunt, papillis variis obsita, ut gustui soli inservire videatur; vel partim cartilaginea, cornea aut ossea, ut in avibus et amphibiis, quibus ad ingestionem ciborum solam data esse apparet. Sic myrmecophagarum pariter ac picarum lingua, quam mirum in modum prolongare valent, soli ingestioni inservit.

Linguae adlisio ad dentes et palatum plerasque producit literas consonantes, linguales dictas, dentales et palatinas, ut infra uberius ostendetur.

Possitne autem quisquam, lingua orbatus, loqui, diu dubitatum est, relatis tamen variis observationibus contrariis, quae, haud necessarium esse id organon, demonstrare dicebantur. Primus Galenus refert, aegrum quemdam, spasmis cruciatum, linguae anteriorem partem sibi ipsi praemorsisse, potuisse tamen postea loqui (de differ. morb. c. 8.). Dein nota est Salmuriani pueri historia, qui gangraena per variolas orta perdiderat linguam totam, neque tamen eo minus potuit postea literas plerasque pronunciare. (Rolandi tr. peculiaris in Eph. nat. cur. dec. I. ann. 4. app.) Et Bartholinus narrat, Leidae cuidam praecisas esse linguae mire tumidae superfluas partes, superstite tamen loquela, (hist. anat. II. 22.) Cui a piratis dimidia lingua abscissa fuerat, per triennium obmutuit; fulgure tamen dein ictus, ut alter Croesi filius, terrore potissimum sermocinandi facultatem recuperavit. (Tulpii obs. I. c. 41.) Cum a salivatione Parisiensis cujusdam viri lingua in immensum tumuisset, Pimperellus chirurgus dimidiam fere partem praecidit: perinde autem distincta superfuit loquela ac antea. (Welsch syllog. obs. et cur. med. episagm. 25.) Puella Londinensis, quae per carcinoma linguam perdiderat, pronunciare plerasque literas potuit. (Leske's Auszug aus d. philos. Transact. II. 33. III. 14.) Denique Jussievus Ulyssiponi vidit puellam ἄγλωσσον, quae bene loquebatur. (Mém. de l'ac. de Paris, a. 1718. p. 6 sq.) Et Aurranus Argentoratensis peculiarem tractatum de eiusmodi casu conscripsit. (Elinguis feminae loquela, Arg. 1779. 8.)

Tot vero exempla cum negari nequeant, quaeritur, quomodo explicandam offerant loquelam sine lingua.

Rolandus iam fatetur, superfuisse aliquid de radice linguae, qua, dum palatum molle vehementer detraxerit puer, ipsi palato admota, potuerit linguas palatinas proferre. Galeni, Welschii et Tulpii casus dimidiam solummodo linguae partem attinent, ubi superstes pars omnino potuit ita agere, ac si tota lingua adhuc adfuisset. Quem anglici annales narrant, casus mirabilis quidem initio videtur, cum ne ullum quidem linguae vestigium adfuisse, sed tumorem duntaxat *immobilem*, ad uvulam extensum, principio referatur. Sed mox Parsonsius mirabilem eam narrationem ita illustravit, ut genioglossos musculos superfuisse testetur, qui satis mobiles, licet nonnisi violenter agitati, linguae vices gesserint. Idem addit, literas eas, quae apice linguae enunciantur, ***Dutleneth*** Ebraeis dictas, haud potuisse puellam proferre. Tali modo mirabilia evanescunt et incredibilia.

Confirmatur haec exposito acutissima Jussievi inquisitione. Musculos genioglossos et is superstites vidit, et uvulam satis longam latamque. Puella, dum sibilantes proferre et dentales vellet

literas, palatum fortiter detrahebat, ut genioglossi ad palatum appressi, hoc autem fere dentibus admotum similitudinem quamdam earum literarum producerent.

b. ALIAE PARTES.

Labia ad multas necessaria sunt literas, quibus producendis nihil fere lingua confert. Literae, quas Ebraei *Bumaf* appellant, labiales, sine linguae adminiculo producuntur, unde Americae septentrionalis gentes, quarum mos est forare labra, haud posse eas literas proferre, quorundam est sententia. Et gutturales, in orientalibus, semiticis dialectis copiosiores, solo gutture, radice saltem sola linguae, pronunciantur.

Itaque praeter linguam etiam labra, palatum et guttur ipsum requiruntur, ut elementa loquelae proferantur.

II.
LOQUELAE ORTUS.

Egregie iam Aristoteles monuit, vocem natura esse atque instinctu eorum omnium animalium, quae pulmonibus gaudeant, sermonem vero ad convenientiam formari atque consensum gentium, cum nulla sit loquelae necessitas, sed arbitrium quoddam libero rationis usu agens. Id quidem iure suo monuit Stagirita, licet sibimet ipsi contradicat, cum et luscinias et alios oscines studio ac arte canere ac pullitiem docere cantum, quam ipsa haud didicisset, perhibeat (hist. anim. IV. 9.). Quodsi enim hominis praerogativa est loquela, quae consensu solo et ratione, nec naturali efficitur instinctu, necesse est, vel dulcissimum lusciniae cantum naturalem habere ac oscini illi necessarium, quam nec arte unquam nec studio discat.

Est autem primus rationis expergefactae effectus, ut eius, quod sensit homo, notam arreptam claram sibi imitatione reddat, memoriae tradat, aliisque patefaciat. Quotidie et infantes et gentes omni animi cultu expertes audimus sonos, quos natura producit, imitari, unde primitivas fere linguas esse onomatopoieticas, seu naturae imitatrices, efficiendum est.

Germanica certe est primitiva, cum suis onomatopoieticis: a. ***Donner***, b. ***Blitz***, c. ***Krach***, d. ***Sausen***, e. ***Sturm***, f. ***Wirbelwind***, g. ***Leise***, h. ***Liebe***, i. ***Laut***, k. ***Klingen***, l. ***Rollen***, m. ***Schmettern***, n. ***Quetschen***, o. ***Zischen***, p. ***Klirren*** etc.

Et filiae eius: Danica, cum suis a. ***Dundre***, ***Torden***, c. ***Knak***, d. ***Susen***, e. ***Storm***, f. ***Hvirvelvind***, k. ***Klinge***, l. ***Rulle***, m. ***Squopper***, n. ***Knuse***, o. ***Hvidslen***.

Suecica, cum suis a. ***Dunder***, b. ***Blixt***, d. ***Bulra***, e. ***Storm***, f. ***Wäderhvirvel***, k. ***Klinga***, l. ***Rulla***, o. ***Hväsa***.

Anglica, cum suis a. ***Thunder***, c. ***Crack***, d. ***Bluster***, e. ***Storm***, f. ***Whirlwind***, i. ***Loud***, k. ***Clink***, l. ***Roil***, n. ***Squeeze***, o. ***Whizz***.

Batava, cum suis a. ***Donder***, b. ***Blikzem***, c. ***Krak***, d. ***Bruischen***, e. ***Storm***, f. ***Dwarlwind***, g. ***Zagtjes***, h. ***Liefde***, k. ***Klinken***, l. ***Rollen***, n. ***Kneuzen***, o. ***Sijffelen***.

Nec a graeca aut latina, filia eius, huiusque filiabus, italica, hispanica, lusitanica et gallica absunt onomatopoieses, licet in iunioribus et secundariis rariores sint. Graecorum a. *βροντή*, h. *φιλία*, l. *κυλίνδειν*, m. *ῥάσσειν*, o. *συρίζειν*; Latinorum a. ***tonitru***, c. ***strepitus***, ***stridor***, d. ***susurrus***, k. ***tinnire***, l. ***volvere***, n. ***quassare***, o. ***sibilare*** et aliae voces: ***cachinnus***, ***flere*** etc.

In latinae filiabus sunt derivata onomatopoietica; in italica a. ***tuono***, c. ***frucasso***, ***rimbombo***, ***scoppio***, d. ***rombare***, e. ***burrasca***, ***stormo*** (sed alio significatu,) k. ***tintinnare***, l. ***rullare***, m. ***fracassare***, ***squarciare***, n. ***acciaccare***, ***schiacciare***, o. ***fischiare***, g. ***squillare***.

In hispanica: a. ***trueno***, d. ***zumbar***, e. ***borrasca***, f. ***torbellino***, n. ***machacar***, ***quebrantar***. Et aliae: ***cuchuchear***, murmurare, ***aria linda***, mitis aër.

In gallica: a. ***tonnerre***, c. ***crac***, d. ***bourdonner*** (quodam significatu), f. ***tourbillon***, l. ***rouler***, ***s'écrouler***, m. ***fracasser***, o. ***siffler***.

Inter europaeas linguas germanica sine dubio maxime onomatopoietica, ideoque poeseos capacissima est; slavonicae linguae paucas habere videntur voces, quae naturae *ὁμοιώματα* sint.

In asiaticis linguis mangutica fere plurimas habet onomatopoieses; gens ultimum Orientem tenet ac alia etiam antiquissimae prodit originis vestigia. Etenim radices multarum vocum europaearum in mangutica lingua quaerendas esse, ***Avenae*** exemplo, Amyoti, Langlesii et Adelungii sententia est.

Sanscriticam linguam, germanicae et persicae matrem nonnulli credunt; neque tamen eo minus Schlegelius nuper (über die Sprache und Weish. der Indier, 62.) antiquissimam illam linguam arbitratur onomatopoieseos expertem, persicam vero ditissimam esse: quod illa nata sit e divino revelatione. In quo vero vehementer fallitur; namque ex indice, quem Paullinus a S. Bartholomaeo exhibet, videmus, ***Atma*** in lingua sanscritica esse *ἀτμὸν*, ***halitum***, ***animam***; ***Krschra***, clamorem, quem ***Kreischen*** Germani appellant; ***Kukada*** gallinam; ***Rudida***, rudentium animalium vocem: ***Schrada*** luctum, quod cum germanico ***Schreyen*** congruit; ***Waihu*** ventum; ***Widara*** tempestatem, quod cum ***Wetter*** Germanorum convenit; ***Wilala*** felem. Quae omnina onomatopoietica cum germanica lingua congruunt. Neque persica, quantum iudicare possumus, licet germanicae adfinis, tot naturae imitamenta continet. Neque, si antiquissima esset sanscritica lingua, tantopere aliena esset a semiticis dialectis, prae-

sertim ebraica, cum certum sit, Ebraeos antiquissimis temporibus finitimos Indis fuisse, dein vero occidentem versus migrasse. (Gatterers Univ. hist. II. 87.)

Haec quidem manifesto docere videntur, primitivas linguas imitamentis naturae sonantis omnino abundare; neque necesse esse, ut ad revelationem divinam cum Schlegelio confugiamus. Namque et praerogativae, quas celebratissimae suae sanscriticae tribuit, haud eiusmodi sunt, ut nos, dignitatem huic loquelae eximiam et prope divinam adiudicare cogant. Etenim flexionibus abundare hanc linguam, coniugationibus et declinationibus, perperam habet Schlegelius summam dignitatem, qua solum adficiat haec lingua intellectum; cum lapponica lingua, rudis illa et satis inculta, quatuordecim habeat casus; cum etiam Vasconum lingua abundet modis et coniugationibus, unde Larramendius et Astartoa eodem iure, quo Schlegelius sanscriticam, Vasconum linguam et perfectissimam habuerunt et vetustissimam. Quid quod de tamanaca lingua gentis Orinocci accolae, refert Gilius (storia americ. III. 171.) coniugationibus abundare: flectere etiam adverbia aliasque particulas, si possessivis iungantur. Itaque, si flexiones vocum praestantiam linguae constituerent, tamanaca lingua multo magis divinum proderet ortum, quam sanscritica. Parum flectuntur anglicae linguae voces, neque tamen eo minus cultissimam eam esse, cultiorem saltem sanscritica, ecquis inficiaretur?

Neque magis verum est, quod Schlegelius adfert, de adfinitate et germanitate linguarum, quae flexionibus abundant, dissimilitudine autem earum, in quibus adfixae aut suffixae particulae dominantur. Quae haud flectuntur, semiticae dialecti, maxime adfines inter se sunt, ut, si quis ebraicam linguam noscit, facillime possit syriacam addiscere. Mirum in modum flexae linguae americanae dissimillimae sibi sunt, ut ad Orinocum habitantes populi infinita fere linguarum discrimina, et essentialia quidem, monstrent. Nec Lappones ab Aesthiis aut Livonibus intelliguntur, licet dialecti omnium maxime flectantur et ex una probabiliter matre ortae fuerint.

Quodsi denique ceteris omnibus praestaret lingua sanscritica, si, quod Schlegelius perhibet, maxime philosophica esset, necessaria esset syntaxis hactenus saltem finita, quatenus in anglicana aut gallica lingua est. Sed nullam fere syntaxin habet, unde nec philosophica dici potest.

Multo simplicior, naturae convenientior et verior est Adelungii (Mithridates 1.) expositio: sermonem humanum principio fuisse imitationem naturae, ideoque loquelam primitivam esse monosyllabam et vocalibus abundantem. Simplicius est id ratiocinium, quod polysyllabae voces e monosyllabis oriuntur, quod radices antiquissimarum linguarum paucissimis constituuntur syllabis, quod vocalis est proprie sonus naturae. Naturae magis congrua est haec expositio, quoniam gentes rudes, quales e gremio natu-

rae prodierunt, a natura ambeunte prius et fortius adficiuntur, quam ab intellectus informationibus aut ratiociniis. Verior denique haec explicatio esse videtur, cum linguarum historia nos doceat, ita eas, cum cultu gentium aucto, mutari, ut vocalibus literis absorbtis, idonea producatur ratio consonantium et vocalium. Gothicae linguae fragmenta, quae Ulphilas e tertio servavit seculo, alemannicae dialecti reliquiae ex octavo et nono seculo eam vocalium abundantiam habent, ut nonnisi in suecica, minus culta forte filia antiquae germanicae linguae, easdem inveniamus terminationes: ***unsarana***, ***thana***, ***Ubile***, ***Himelc***; ***sammandraga***, ***äro***, ***byggarc*** etc. Frisica etiam lingua, antiquae germanicae incorrupta proles, easdem terminationes vocales, teste Wiarda, etiamnum servat. (***Redieva***, ***inna hira tuira Kenna***).

Vocalibus abundant et monosyllabis vocibus linguae in Asia orientali regnantes: sinica, malaica, tunkinensis et mangutica cum filiabus in archipelagis orientalibus. Gentes autem eas a cultu animi alienas esse, ipsasque linguas imperfectissimas, nemo negabit.

Sed redeamus ad ortum loquelae ex imitatione naturae. Eximia sine dubio expositio, quae tamen haud generalis esse potest. Cuivis enim obvium est, haudquaquam omnia, quae natura exhibet, quaeque loquela exprimuntur, audienda esse; sed multa etiam sub alios cadere sensus. Siquidem nec colores, nec formae, nec odores, nec aliae rerum qualitates imitationi humanae patent: quae ideo arbitrariis magis atque ex consensu (*κατὰ συνθήκην* Ammonius Alexandrinus, Hermeae filius) formatis vocibus exprimuntur. Symbolis magis quam imitamentis linguam humanam idem Alexandrinus philosophus adiudicat, et iure suo. Etenim imitamenta necessaria sunt, ut icones rerum, quas transformare non nostrae est potestatis. Atqui ipsa etiam naturae imitamenta alia sunt in aliis et finitimis quidem linguis. ***Blitz*** nostrum, quod celeritatem fulguris exprimit, suecica sola et batava dialectus servant (***Blixt*** et ***Blikzem***): danica habet ***Lynild***, anglica ***Lightning***, latina ***fulgur***, graeca *ἀστραπή*, gallica ***éclair***, italica ***Lampo***, hispanica ***Rayo***. Itaque voces et ipsae naturae imitatrices arbitrio gentium et consensu formantur.

Licet divina revelatione linguam aliquam singularem ortam fuisse haud credamus, divini numinis tamen est et mirabile donum sermo humanus, quo et clarae fiunt distinctaeque ideae et ratio ipsa suscitatur. Namque intuitus vel vividissimus sensus est obscurus, nisi inveneris notam characteristicam, quam verbo exprimere, adeoque et memoriae et rationi tradere possis. Quod praeprimis probatur hominibus, qui surdi mutique nati sunt. Infantes enim sunt, licet sensuum et notionum obscurarum ingenti colluvie abundent; ratio demum suscitatur instructione, quae pro loquela alias substituit methodos, quibus distincta redditur informatio.

Si animi adfectus sensibus obscuris oriuntur, eo vehementiores, quo minus ratione temperantur, sermoni etiam humano tribuenda est generis nostri humanitas et a brutali ruditate remotio. Namque et qui surdi mutique nati sunt, priusquam humanitate instruuntur, ferocia morum et adfectibus turbulentis terrent, cuius horridum exemplum Reimarus narrat (von den vornehmsten Wahrheiten der nat. Religion. 450.)

Itaque sermo humanus eo indissolubili vinculo cum ratione humana cohaeret, ut peculiaris sit huius character, nec cogitari possit ratio aut intellectus absque sermone. Hinc etiam Rousseauvii commentum, humani generis praerogativas nil esse nisi imitamenta bestiarum, pariter inhumanum ac irreligiosum videtur, atque per se ipsum corruit (Discours sur l'origine de l'inégalité parmi les hommes. Oeuvres t. 1.). A quonam enim animali sermonem, a quonam rationem homo didicit?

Sermo humanus, licet rationis sit potentissimum incitamentum, maximumque vinculum, quo genus humanum secum ligatur, imperfectum tamen est adminiculum, quod plurimos errores generis humani peperit. Namque cum symbolicam praebeat cognitionem, cum nullas repraesentet loquela res, sed sola nomina, per se etiam res ipsas patefacere nequit, nisi consensus adsit absolutus, qui fere deesse debet, ubi nulla instructio praegressa fuit. Arbitrio autem atque consensu hae notae formantur, unde errores plurimi, contentiones et controversiae ortae sunt et quotidie oriuntur.

Hinc patet, quod Herderus iam bene monuit (Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschheit II. 219.), humanum genus nec intuitus nec theoriae purae capax esse, cum ille haud cum aliis communicari possit, haec vero arbitrariis egeat notis, verbisque plerumque et inanibus contenta sit vocibus, ubi res ipsas intueri credit. Sermonis facultatem cum nobis largiretur divina providentia, docuit nos verecundiam ac diffidentiam scientiae et cognitionum, avocavit nos a metaphysicis ac meteoricis ratiociniis et philosophiam finivit ut rationis cultum modestum et utilem.

III.

DE ELEMENTIS LOQUELAE.

a. VOCALIA.

Elementa sermonis humani recte dividuntur in *vocalia*, quae solo oris rictu diducto formantur; et *consonantia*, quae lingua et aliis loquelae instrumentis producuntur. Neque desunt in quorumdam populorum linguis media inter utraque elementa, vel gutturalia, ut *Ain* Ebraeorum; vel nasalia, ut in malaica lingua et polonica, ubi ą, ę in media voce nasalem sonum adiunctum habent. Pertinent huc etiam Anglorum *u* in initio syllabae lon-

gae, et Russorum tres literae ***Järr***, ***Jerü***, ***Jehr*** et Lusitanorum $\overline{ao}$

Vocales literae quinque vulgo statuuntur: ***a***, ***e***, ***i***, ***o***, ***u***; ceteraeque diphthongis adnumerantur, ut *ä*, *ö* et *ü* Germanorum. Male id fieri, efficitur e simplici sono, quem ultimae hae literae edunt ac ex dignitate, quam veteres Graeci suis *H* et Y tribuerunt. Nec Sueci, praeter eas vocales *å* singulari sua gaudentes, quam Dani *aa* imitantur, compositam eam arbitrantur, sed peculiarem vocalem. Neque obiici potest, scribere nos eos sonos, velut ex ***a*** et ***e***, ***o*** et ***e***, ***u*** et ***e*** compositos: cum et Batavi ***u*** simplicem vocalem *τῷ* ***oe***, Galli *τῷ* ***ou***, Graecique ipsi *τῷ* *οὐ* exprimant.

Plerisque linguis sunt etiam plures vocales. Anglica insignis est mediarum quasi vocalium serie: a in ***aukward*** et ***all***, ***i*** in ***dirt*** et ***shirt***, o in ***soul***, u in ***dust***. Eas medias vocales habent quoque incolae Germaniae inferioris, quorum lingua tum demum eleganter ac recte profertur, si distingui nequit, quaenam sint propriae vocales.

Abundantia vocalium si nimia est, et primitivam linguam signat et rudiorem. Taediosa est dialectus genuensis coacervatis vocalibus, et vestigia antiquissimae cantabricae linguae in eadem adesse dubitanter autumat Adelungius. (Mithridat. II. 503.) Dorica dialectus graecae linguae vocalibus, praesertim *α* et *ω* referta, ut et ionica, quamvis vocem fere vocali terminans, nec hiatum evitans (*τοῖσι ἀνθρώποισι*), minus cultae erant quam attica elegantissima. Sic et sinica gens et populi ad Orinocum habitantes et insularum australium incolae consonantium compositionem horrent, neque terminationem vocis consonantem ferre possunt, ut loco Dios, ***Diosu***, loco Christus ***Kilisitusu*** dicant. Ruditatem haec gentis, infantiam linguae et mollitiem quamdam produnt, a cultu alienam.

Certa quaedam ac iusta ratio necessaria est inter vocales literas et consonantes, qualem in semiticis dialectis, in graeca lingua, in latina eiusque filiabus, animadvertimus. Germanicae vero et slavonicae dialecti defectu vocalium saepius scabrae fiunt et asperrimae.

Iam vero, quomodo vocales formentur, dispiciendum; in qua quidem quaestione diutius morari nolumus, memores Molerianae illius tritissimae fabulae et lepidissimae, ubi homo rusticus, nobilitatis pompam iactans, a magistro literas pronunciare discit.

Vocales literae non articulantur, sed solo oris, palati et labiorum rictu aperto producuntur, ut et animalium voces vocales saepius contineant. Et simplicissima quidem diductione oris et labiorum, qua simul lingua explanatur aut in medio ore suspensa est, ***a*** et ***o*** producuntur. Puella Amstelodamensis, e morbo comitiali muta, cum vocem recuperaret, primas has vocales ***a*** et ***o*** pronunciavit. (Tulpii obs. 1. c. 8.) Et Buffonius recte refert,

infantes eas vocales prius proferre, quam ullas alias literas. Gutturales habet has literas Wallisius (gramm. lingu. anglic. p. 6.), quibus etiam anglicum *au*, aut suecicum *å* adnumerare possumus, in eo tamen lapsus, ut et *e* femininum Gallorum aut mutum Germanorum huc trahat, quod nunquam profecto eodem modo producitur, ac *a*, *o*, et *all* Anglorum. Nulla enim diductio oris adest, si *liberty* aut infinitivum germanicum enunciamus, aut *Schva* Ebraeorum.

Palatinae sunt aliae vocales, quae proferuntur lingua media elevata, ut palatum minus cavum fiat quam in gutturalibus. In *η* Graecorum, *ä* Germanorum, *e* limpido et *i*, labia arctius adducuntur, quam in *a*, minus diducuntur, lingua autem elevata, applanata dentibus molaribus postremis apponitur.

Denique sunt labiales vocales, quae labiis in proboscidem fere collectis et aëre ibi mediocriter compresso formantur. Maiori labiorum rictu, sed tamen extrorsum versorum, oreque magis aperto *u* Germanorum, *ou* Gallorum producitur; arctiore labrorum productione, qua orbicularis oris musculus corrugatur, *o* breve; similibus labiorum productionibus vocales *ö* et *ü* Germanorum, *eu* Gallorum, *υ* Graecorum.

b. CONSONANTIA.

Haec de vocalibus loquelae elementis: iam de consonantibus merito sic dictis, quod per se non sonant, sed vocali seu semivocali saltem adiuncta. Commune autem omnibus est, quod voce intercepta a labiis contractis, aut ab adlisa lingua aut a palato molli contracto producantur. Hinc cum veteribus Ebraeis possunt tempestive dividi in labiales, *Bumaf*; dentales, *Datleneth*; sibilantes *Saszarasch* et gutturales *Gichak*. Aliam proponit Wallisius distributionem, in mutas *p*, *t*, *c*, cum in his spiritus nusquam exeat, nullus itaque sonus audiatur; in semimutas *b*, *d*, *g*, quae exiguum sonum in naribus efficiant; et in semivocales *m*, *n*, quippe quae maiorem sortiantur sonum. Mutas eas vocales et semimutas evadere apertas, si spiritus exitum invenerit, sic *b* mutam abire in *f* apertam; *b* in *v* et, paullo magis remotis labris, *w*; *t* mutam abire in *th* sibilantem apertam, si spiritus exierit; subtilius exiens et quasi per rimulam, formare *s* apertam; dum *d* vero muta, spiritu leniter eliso, aperta fiat, *z* mollem oriri. *L* et *r* literas fere compositas existimat Wallisius e *d* et *u*, ut linguae tremor accedat. Gutturales denique mutas, semimutas et semivocales habet *g*, *ch*, *k*, et *ñ* Hispanorum. (Wallis. l. c. p. 20 sq.)

Quae omnia, licet veri quamdam habeant speciem, nimis tamen arbitraria sunt nimisque subtilia, maxime cum plures literae eo modo parum aut minime explicentur. Melius nos et simplicius progredi in quaestione hac solvenda possumus, si solis subsistamus organis.

α. CONSONANTES LABIALES.

Labiis solis, nec linguae adminiculo, producuntur literae *b*, *m*, *p*, *f*, *v*, *w* europaearum linguarum, in quibus *f*, *v* et *w* habent omnino aliquid aperti et semivocalis, cum spiritus manifesto per labra contracta exeat.

Variarum gentium linguae nonnullis harum labialium carent: semiticae dialecti fere *p*, cuius praesentia persica lingua illico a semiticis secedit. Sinenses carent *b*, Malabari *f*; Iapones distinguere nequeunt *h* et *f* et *p*, *b* et *m*. Recentiores Graeci *β* fere semper ut *w* pronunciant; Hispani continuo commutant *b* et *v*; et ipsi Thuringiae ac Saxoniae superioris incolae *b* et *p* distinguere non valent, ut et Lappones et Aesthii Livonesque. Lithuani quoque *f* et *v* carent. *F* deficit etiam in loquela americanarum gentium, ut et Hurones nullam labialem pronunciare posse Hontanus perhibeat. Quaeritur autem, sitne is defectus a foratis ex more illius gentis labris derivandus?

β. CONSONANTES LINGUALES.

Lingua vario modo ad palatum adducta aut ad maxillam superiorem, formantur literae *d*, *t*, *l*, *n*. Primae vel dorso linguae plano ad internum maxillae superioris et dentium incisorum parietem adliso (*d.*); vel apice tantum linguae ut durities soni audiatur (*t.*). Mobilitas linguae et consuetudo habilitatem eam discriminis inter duram et mollem vocalem pronunciandi producunt: ea habilitate carent Saxones, Lappones et Orinocci accolae. Carent litera *d* plures linguae americanae: Moxi etiam, qui olim Peruviam habitabant, sine *Deo*, sine *Fide* et *Lege* esse dicebantur, quod nec *d*, nec *f* nec *l* pronunciare valerent. (Gilii storia amer. III. 239.) Contra Mexicani continua *tl* repetitione taedium efficiunt.

L pronunciatur, si linguae apice ad palatum admoto vox promitur: *n* vero, si lingua media plana toti anteriori palati parieti admovetur. Differunt *ll* Hispanorum et *ñ* eorumdem, aut *gn* Gallorum, quae nasales et gutturales potius sunt.

Medium quemdam sonum habent Sueci, si *k* ante *ä*, *y*, et *ö* ponitur: pronunciatur ut *tj*, velut *Kännedom*, *Linköping* sonant ut Tjännedom, Lintjöping. Huic similis est fere *ty* Madjarorum s. Hungarorum, nisi ut magis in *th* Anglorum sibilantem transeat. *Atya*, *Kutya* pronunciantur vel sibilante modo vel ut suecicum *kä*.

γ. CONSONANTES SIBILANTES.

Lingua ad dentes admota proferuntur literae *s*, *z* Germanorum; retracta vero lingua, et eliso per dentes spiritu, producuntur *ch* et *j* Gallorum. Lingua magis operatur in *th* Anglorum, cuius similem habent literam Arabes et araucana gens in America meridionali; producitur autem linguae non apice solum, sed

dorso etiam ad dentes applicato. Semiticae linguae his sibilantibus adiiciunt literas compositas ***dsch*** s. ***j*** Anglorum et ***ds*** seu ***z*** Italorum. Persae habent quatuor literas ***s*** molle, tres ***s*** durum exprimentes, habent ***sch*** molle et durum ac ***dsch*** seu ***j*** Anglorum. Turcae duas literas pro ***s*** molli, totidem pro duro, ***sch*** molle et durum, ***tsch*** et ***zh***; Armeni totidem. Slavicae gentes autem sibi maxime placent in his sibilis: Russica gaudet ***s*** molli et duro, ***sch*** molli et duro, aliisque literis ***tsch*** et ***schtsch*** referentibus; Poloni habent ***c*** et ***ć*** (z et sch molle), ***cz*** (tsch), ***sz*** (sch) ***z*** (s molle) ***s*** durum et ***ż*** (sch molle). Madjari s. Hungari sibi placent in ***cz*** (z germ.) ***cs*** (tsch) ***dz*** (ds) ***dzs*** (dsch mollé) ***s*** (sch) ***sz*** (s dur.) ***ts*** (tsch) ***tz*** (z germ.) ***z*** (s molle) ***zs*** (sch molle). Nec desunt Italis ***tsch*** durum in ***cecita***, ***dsch*** molle in ***genio***, nec Hispanis ***tsch*** in ***muchacho***, nec Lusitanis ***sch*** durum quod eorum x in ***Texeira*** est. Ita et Angli gaudent ***dsch*** molli in ***joy***, ***tsch*** duro in ***church***.

Memorabile est, Cimbrorum posteros in Germania inferiore et Batavia evitare susurrum in ***sch*** duro aut molli: sed seorsim semper, et gutture fere ***s*** et ***ch*** pronunciare, ut Batavus in ***schampscheut***, ***scheenschroeven***. Deficiunt sibilantes literae fere omnes in tamanaca lingua Americae australis.

δ. CONSONANTES PALATINAE ET GUTTURALES.

Hae vel linguae apice aut dorso vario modo ad palatum admotis; vel, retracta aut depressa lingua, solo halitu aut contractione gutturis producuntur.

Lingua ad palati fornicem ita adlisa, ut tremulo motu spiritus elidatur, producitur ***r***, quam blaesi commutant cum ***l***, si, mobilitate linguae deficiente, dorsum totum et apex linguae ad palatum admovetur. Hinc ***lallare*** dicuntur infantes et senes decrepiti et qui nervorum resolutione adfecti sunt, si tremulum eum motum lingua eorum producere nequit. Qui ***rottacismo*** laborant, hanc literam aliter ac per guttur proferre nequeunt: est enim omnino quasi media inter ***l*** et gutturales.

Voluta lingua ad palatum pronunciatur ***ll*** Hispanorum, in ***llano***, ***llorar***, cuius idem est sonus ac gallici ***bailler***, ***houille*** ac ***ł*** virgulati Polonorum in ***anioł***, ***postac***.

G et ***j*** Germanorum ita differunt, ut illud radice linguae ad palati supremam partem admota, hoc autem dorso linguae ad palati anteriorem partem adliso producatur. Neque utramque hanc literam Saxones distinguere valent: neque Guestphali rite literam ***g*** pronunciant, sed velut τῷ ***ch*** propiorem.

Ch litera simplicem habet sonum, licet duplici signo scribatur. Differt a ***g***, quod radix linguae planius palato admoveatur, dum vox eliditur. In orientalibus dialectis satis vulgaris est, neque tamen Pomerani, neque Sueci, neque Galli, neque Italicam pronunciare valent. In hispanica lingua duplex est, ***j*** et ***x***

scripta, sed magis etiam gutture producta, sicut et *ch* Polonorum et Arabum *Cha* et Celtarum, quae haud facile enunciatur.

K est gutturalis mera, sola fere uvula et palato molli producta, neque linguae adminiculum necessarium videtur. Ea litera in plerisque linguis adest, copiosa satis in borealibus, Groenlandica et Americae septentrionalis: caret ea sola gallica vetus, dulcis lingua et sonora.

Sonus, quem litera *x* repraesentat, manifesto compositus est, et tum palato molli ac uvula, tum linguae apice ad dentes adliso efficitur, ut *k* et *s* ad eum producendum requirantur.

N nasale Gallorum, aut *ñ* Hispanorum, sive *nh* Lusitanorum, quod et in araucana lingua occurrere Gilius testatur (Storia americ. III. 261.) imo gutture ita producitur, ut sonus per nasum elidatur.

Denique superest durissimus et difficillimus crepitus, quem Hottentotti vocalibus nonnullis praemittunt, dum linguam revolvunt et palato apprimunt. Posset quidem cum *ll* Hispanorum comparari, sed nequaquam *l* audiri, Vaillantius testatur.

* * *

Finem huic commentariolo impositurus id denique moneam, differentiam linguarum et vel asperitudinem vel dulcedinem solere a climate solo derivare; montanas itaque gentes scaberrimis gaudere linguis, cuius exemplo Schlegelius (ind. Sprache, 77.). armenicam adducit. Posset etiam helvetica dialectus et etrusca huc trahi, quae ideo asperrimae dicuntur, quod monticolarum sunt. Exploratum tamen habeo, a climate minus quam a moribus et cultu pendere linguarum qualitatem, cum ad Orinoccum, per immensam planitiem, Humboldtio teste, diversissimae regnent dialecti, et dulcissimae et asperrimae.

Sic et Californiam occupans gens sonoro et suavi gaudet sermone, licet clima sit asperrimum; durissimo et taedioso mexicana sub mitissimo coelo degens. (Gilii l. c. p. 230. 412.)

CONSPECTUS OPUSCULORUM.